

Le texte proposé ici est celui de la belle édition sortie des presses Lyonnaises d'Etienne Dolet, en 1538.

Notre but n'étant pas bibliophilique, mais 'technique', nous avons dû moderniser les graphies, supprimer une grande partie des majuscules, dont nous ne méconnaissons pas la signification. Pour les mêmes raisons, nous avons actualisé les graphies.

Notre propos était d'étudier la métrique de Dolet : passionnante, mais rude tâche. Si les pièces relevant de la métrique épique, élégiaque, ou logaédique sont d'une facture très classique, toutes celles - et ce sont les plus nombreuses (1) - qui contiennent des iambiques nous ont donné de la tablature. Jamais, que ce soit chez les poètes classiques, tardifs, ou néo-latins, nous n'avions rencontré de telles difficultés. Il nous est vite apparu que Dolet ne suivait pas les règles de la poésie iambique classique, celle de Catulle par exemple, mais bien plutôt les habitudes des poètes comiques, de Plaute ou de Térence. Or cette métrique est si souple, si complexe qu'on a pu émettre l'idée qu'il ne s'agissait pas de vers, mais de prose rythmée. Sans aller jusqu'à cette hypothèse radicale, il faut reconnaître que dans cette versification dramatique, prosodie et métrique ont une souplesse extrême (voir note à fin du texte scandé, en format '.doc').

Nous avons tenté, dans ces pièces iambiques des *Carmina*, de proposer une scansion vraisemblable : ce fut souvent difficile. Nous accepterons les critiques, mais aussi les suggestions pour améliorer notre travail.

(1) Dans la pièce 1_06, Dolet dit sa prédilection pour l'iambique.

STEPHANI DOLET I GALLI AURELII CARMINUM LIBRI QUATUOR.

CARMINUM LIBER PRIMUS.

AD FRANCISCUM VALESIIUM GALLIAE REGEM.

C1_01	v.1	Imperat hoc Virtus, ut, quem Virtute decorum
	2	plus reliquis video, plus reliquis venerer.
	3	Si jubet hoc Virtus, Virtutis carmina jussu
	4	missa, vel hoc solum nomine missa proba.

5 Magna darem, si magna mihi sors, arsve dedisset ;
 6 munera, quae possum mittere, mitto libens.
 7 Non animus, sed larga deest, praestansque facultas :
 8 quare animum tantum, non leve munus, ama.

AD EUNDEM.

C1_02 v.1 Francisce non uno quidem, sed omnibus
 2 rex digne regnis, qui fit, ut
 3 oblivione livida Gallorum honos
 4 impune carpatur latens :
 5 et nocte longa huc usque pressus, lumine
 6 caruerit ? An quod defuit
 7 Gallis sua olim laus, vel ampli nominis
 8 celebritas ? An quod mari,
 9 terraque non res gesserint perennibus
 10 chartis reponendas ? Nihil
 11 tale obstat, ut ne addamur astris, et polo.
 12 Nam sive laude virium,
 13 seu Marte prospero vetusta saecula
 14 certent, feremus protinus
 15 primas ; nec ulla gloriae amplitudine
 16 cedemus externis locis.
 17 Sed quando scriptorum elegantium manu,
 18 vatumque caruimus sonis,
 19 taciturnitas nostris meritis diu obstitit.
 20 Idem superbae Romuli
 21 factura proli, ni, quod egisset, modo
 22 chartae fideles proderent.
 23 Idem duci factura jam jam Punico,
 24 et bellicoso Caesari,
 25 ac forti Achilli, ni, quod egisset, modo
 26 chartae fideles proderent.
 27 Solae vetant Musae mori, et solae celebrant
 28 dignos sacra fama viros.
 29 Nec interest, an tu vigil sis, an iners,
 30 an ditior Croeso, an inopi
 31 egentior Iro, an rex potens, an agricola :
 32 ut, utve vitam transigas,
 33 ni lingua doctorum tenebris te eximat,
 34 et posteriorum annalibus
 35 mandet, tibi quos spiritus Virtus dedit,
 36 quos fregeris, quos viceris.
 37 Quare fave Misis, easque amantibus,
 38 ut nomen aeternent tuum :
 39 Gallisque quod deest ad immensum decus,
 40 scripto expleant, et litteris.

AD HIERNYMUM VIDAM. DE SEIPSO.

C1_03 v.1 Quas Troja pugnas pertulerit diu,
 2 et quos Achillis fregerit impetus,
 3 Hector quot invasit phalanges,
 4 classica dum fremerent, tubaeque,

5 quid contra frendentes Agamemnonis
 6 exercitus cum robore, tum dolo
 7 perfecerint, ducente Achille,
 8 atque dolos fabricante Ulysse.
 9 Quid bellicosus Caesar, et Annibal
 10 tentarit atrox, quidve Themistocles,
 11 quid Roma, toto ut orbe nomen
 12 spargeret ipsa suum triumphis.
 13 Scribat, cui Apollo suppeditat modos
 14 tantis pares conatibus, atque cui
 15 largitur ad versus abunde
 16 Calliopea melos amoenum,
 17 aut cui canenti Castalides deae
 18 cinxere laetae tempora pampino,
 19 jussereque, ut nihil caducum,
 20 nilve humile, aut modicum creparet.
 21 Ipse ille ego, cui debili, ad ardua
 22 montis bicornis culmina pervehi
 23 non est datum, nec labra fontis
 24 proluere Aonii liquore,
 25 utcumque rauco gutture perstrepo,
 26 et destitutus dulcisona lyra,
 27 chordasque nescius movere,
 28 praesto, quod exiguae est Camenae.
 29 Impos per altum currere, repo humi,
 30 Non insolenter quicquam operosius
 31 conans, nec antea lacerto
 32 non iterum, atque iterum meo aptum.
 33 Vates Homerus carmine scripserit
 34 mirando Olympi concilia, et graves
 35 rixas, Achivorumque bella,
 36 quae peperit Paridis libido.
 37 Narrarit alto Vergilius pede,
 38 Teucris propago quae freta, quas plagas
 39 trajecit, ut fato jubente
 40 Dardanias renovaret arces.
 41 Cantarit acri pectore Pindarus,
 42 plus igne candens undique Pindarus,
 43 seu jungat audax dithyrambos,
 44 seu canat ore decus deorum.
 45 Mollis Tibullus sensu elegos brevi,
 46 necnon jocosos hendecasyllabos
 47 tractarit exacte Catullus,
 48 Lesbia quo bene nota vivit.
 49 Illinc priores (alter ut altero
 50 excellit) assumant sibi iudice
 51 fama, et velut magni efferantur
 52 artis Apollineae Tetrarchae.
 53 Quid ? Tu negaris, Zoile, debitam
 54 laudem poetis inferioribus
 55 Camena Homeri altum loquentis,
 56 Vergiliive tuba canora ?
 57 Parvis sua est laus, nec penitus caret
 58 fructu laboris, qui tenet ultimum
 59 locum inter heroas Minervae,
 60 si nequeat propius reponi.

61 Praestat sepulto squallida inertia,
 62 qui tantum id ex conamine colligit,
 63 ut plus vigil dicatur olim,
 64 quam piger, et fugiens laboris.
 65 Collusimus, quae si Criticus putat
 66 jejuna, componat Criticus veru
 67 exempta Critici : mihi ipse
 68 concino, non Criticis probanda.
 69 Quod si Hesperae orae me minus audient,
 70 nec me scient vatem Ausoniae scholae,
 71 testabitur tamen poetam
 72 Gallia cara suum Doletum.

AD LIBRUM.

C1_04 v.1 Liber, maledicti in te locum si forte aliquis
 2 quaerit, modo quod liberius,
 3 lasciviusque loquare, modo quod castius,
 4 severiusque, posthabita
 5 genii hilarioris illecebra, dic Zoilo,
 6 aut cuiquam maledico alii,
 7 hominem omnium horarum esse me, et versatilem
 8 ad quodlibet vitae genus :
 9 non Stoicum magis quam Epicureum, si ferat
 10 res. Libere vivere, vivere est.

AD PETRUM DANIESUM.

SUA SE VELLE OPERA IN LUCEM PROFERRI, DUM VIVAT.

C1_05 v.1 Vivens, vidensque gloria mea frui
 2 volo : nihil juvat mortuum,
 3 quid vel diserte scripserit, vel fecerit
 4 animose. Homerus, Vergilius,
 5 Demosthenes, Cicero Elysium calcant nemus,
 6 et auribus poenas hauriunt,
 7 quas Eumenides umbris miseris truces inferunt.
 8 Sua quam sit hic celebris gloria,
 9 quam pervagatum nomen, et decus, nesciunt ;
 10 aut si sciunt, majoribus
 11 capti deliciis negligunt terrestria.
 12 Merito ergo gloria frui
 13 mea volo vivens, vidensque ; et, dum licet,
 14 mortale percipio bonum,
 15 post fata majori fruiturus forte aliquo,
 16 sed interim praesantia amo.

STEPH. DOLETI EPIGRAM.

AD SALM. MACRINUM.

C1_06 v.1 Nullum negaverunt mihi versus genus
 2 Musae. Fundo Elegos tam facile,
 3 quam quisquam alius ; Heroo bombo, si libet,

4 distendo guttur feliciter ;
 5 Sapphon sui cantus genere lacessere
 6 possim, aequareque sperem ; denique
 7 nullum negaverunt mihi versus genus
 8 Musae ; sed Iambicum placet
 9 plus ceteris versus generibus mihi,
 10 quod sensa animi plurimo
 11 splendore verborum efferat pulchre foras,
 12 nec eloquium nostrum impediat.

AD GULIELMUM BELLAIUM LANGIUM.
 UTRA LAUS, GLORIA MAJOR : LITTERARIA AN MILITARIS.

C1_07 v.1 Cessate, milites, decus vestrum nostro
 2 praeferre. Laudabile quidem est, turmas armis
 3 virtute nixis frangere, gentem superare,
 4 augere regna, vel universum orbem ferro
 5 subigere. Sed Caesar, Pompeius, et quot quot
 6 armis viguerunt, ne nomine quidem noti
 7 essent, nisi litteratorum ope. Quod si quaerunt,
 8 habentque suum decus arma a litteratorum
 9 scriptis, fateamini oportet, superiorem
 10 Phoebi esse gloria, inferiorem autem Martis.

AD CAROLUM MARILLACUM. DE AULICORUM MORIBUS.

C1_08 v.1 Quid Aulicorum vita, mores, natura ?
 2 Nix atra plane. Extrinsecus quid mage, quaeso,
 3 aut candidum, aut simplex ? Pectore sed quid contra
 4 atrum magis, et simulatione infuscatum ?

AD EUNDEM. CUR AULAM AVERSETUR

C1_09 v.1 Aulam cur fugiam, desine quaerere.
 2 Fraus, frons tecta dolis, dissimulatio,
 3 obtrectatio, mens alterius dolens
 4 fortunae melioris, vafer ambitus,
 5 auri sacra fames, divitiarum amor
 6 quid sit, non didici ; quas nisi quis notas,
 7 et labes animi laudet, et approbet,
 8 et semper teneat mordicus, aulicos
 9 is frustra strepitus quaerit. Amat scelus
 10 Aula. Illuc scelerati propere pedem
 11 inferte. Aula scelestos amat, integros
 12 vitae odit. Fugite illinc procul integri.
 13 Hoc ex parte aliqua me movet, aulicam
 14 ut pompam fugiam ; sed tamen (o nimis,
 15 o damnosa nimis) temporis acrius
 16 me jactura movet, quae fit ab assecla
 17 aula. Tempus inertis terere otio,
 18 aut caecis animi fluctibus (ut solent
 19 aulae mancipia) id jure suo vetat
 20 Pallas, Pallas amans postera saecula,

21 aeternumque decus, quod labor improbus,
 22 non transacta pigre vita silentio,
 23 affert, atque plagis fundit in omnibus.

AD PETRUM BEMBUM. DE GLORIA.

C1_10 v.1 Gloriam quisquis studium repellis
 2 gente ab humana, simul et repelli
 3 fac scias omnes stimulos honoris
 4 gente ab eadem.
 5 Scilicet Graeci, Latini quondam
 6 mente tam erecta incubuere in ausus,
 7 gloriae nullo stimulo incitante ?
 8 O secus actum est.
 9 Quot quot aut Marti studere duro,
 10 aut Minervales coluere lucos,
 11 hos in immensos rapuit labores
 12 gloria sola.
 13 Gloriam oculos videas pudendo
 14 more inertem vitam agere, ut luto Sus
 15 nata ; quos mentis generat stupores
 16 gloria spreta.
 17 Gloriam solus stimulus pericla
 18 cuncta submittit pedibus : labores
 19 gloriae solus stimulus minores
 20 robore reddit.
 21 Nec potest quicquam, nisi calcar instet
 22 gloriae, dignum fieri viri vi.
 23 Quicquid attentos, regat ergo coeptos
 24 gloria cursus.

AD JACOBUM SADOLETUM.

NATURAM NON MINUS NUNC FELICEM,
 ET POTENTEM FERENDIS PRAECLARIS INGENIIS, QUAM QUONAM FUIT.

C1_11 v.1 Effeta non plus est, vel ingenis inops
 2 natura, quam quondam fuit, miracula
 3 dum rara quaedam hominum, velut superbiens
 4 sua potentia, et inexhausto sinu,
 5 fundebat ultro ; sed quibus feliciter
 6 nasci dat, et largitur amplem vividos,
 7 acresque sensus, atque non agrestem animum,
 8 aut plus satis molles liquescunt, et fluunt
 9 luxu, et voluptate. Aut patrum cupidine
 10 caeca, a bonis et suavioribus studiis
 11 ignobiles trahuntur ad artes, simul
 12 ut prima tantum elementa vix norint bene.
 13 Quo fit quidem, ut, sicut lolio sterili nimis,
 14 lappisque, avenaque enecatur lactea
 15 seges, juvenus sic cadat mox obruta.
 16 Sunt, quos item terret labor, quo Palladis
 17 scandendus est mons, mons via haud ita brevi,
 18 die nec uno, aut altero cuivis patens.
 19 Sunt, quos supellex curta, egestasque opprimit,

20 et spiritus vetat per altum tollere.
 21 Dirum malum, pestisque egestas pessima,
 22 quae spiritus vetat per altum tollere.

AD MAURICIUM SCAEVAM AMICUM SINGULAREM.

C1_12 v.1 Non nos voluptas, vita vel impia,
 2 non nos vel indignum studium, aut scelus
 3 conjunxit : hanc jucundus usus,
 4 usus amicitiam creavit.
 5 Mores pares, parque ingenii vigor,
 6 ac vota pulchre convenientia,
 7 par vita prorsus nos libentes
 8 foedere perpetuo ligavit.
 9 Sic quondam amavit Scipio Laelium,
 10 haesitque Orestes sic Pyladi suo,
 11 sic Castorem Pollux amasse,
 12 Thesea Pirithousque fertur.
 13 Non tempus ullum, jurgiave aspera,
 14 aut rixa dissolvit, quibus imperat
 15 virtute amor natus celebri,
 16 matre eadem assidue fovendus.
 17 Vitae timebo perniciem tuae,
 18 vitae timebis perniciem meae ;
 19 nil carius tete ipsa habebo,
 20 carius atque nihil me habebis.
 21 Votum saluti ultro faciam tuae,
 22 votum saluti ultro facies meae :
 23 aeternum ero tibi in medullis,
 24 tuque mihi usque eris in medullis.
 25 Quamvis Gades, vel terra remotior
 26 incognitum me perferat advenam,
 27 ac tu ultimos visas Britannos
 28 postea, Hyperboreosve saltus,
 29 votum saluti ultro faciam tuae,
 30 votum saluti ultro facies meae.
 31 Aeternum ero tibi in medullis,
 32 tuque mihi usque eris in medullis.
 33 Divos rogabo te erigi honoribus,
 34 divos rogabis me erigi honoribus :
 35 supplex uterque poscet, aevum
 36 Nestoris assequi utrumque posse.

AD EUNDEM. UT VERSUS SUOS IN LUCEM EMITTAT.

C1_13 v.1 Lates heu nimium diu sepultus
 2 obscuris tenebris, diutiusque,
 3 quam est par, Scaeva, tuae invides perenni
 4 famae. Jam aude aliquid. Fatebor ultro,
 5 qui rem non teneat marinam, in aestus
 6 marinos temere ratem, soluta
 7 ora, exponere ; sed, qui et arte, et usu
 8 excellens facere id potest, si in altum
 9 securam dare differat carinam,

10 ignavum, et timidum putabo nautam.

IN CAROLUM AUSTRICIUM IMPERATOREM HISPANUM.
DIFFICILEM ESSE GLORIAE CUSTODIAM, AC FORTUNAM INSIDIATUM VENIRE
DUM NIMIUM ADBLANDITUR.

C1_14 v.1 Fuere Troes, Iliumque altum fuit :
2 fuit superba Graecia ;
3 vi, armisque quondam Roma cunctos terruit,
4 et quot quot aurea coma
5 Titan suis illustrat oras ignibus,
6 subegit illa patruo
7 favente Marte. Sed nec id Mars praestitit
8 nepotibus, nec Ilio
9 sic adfuit Venus suo, ut contrarii
10 vi numinis non protinus
11 sit Roma, magnum et Ilium pessum datum.
12 Trojae libido adulteri
13 ferrumque, flammamque adtulit, qua corruit.
14 Romam domesticus furor,
15 ac impotentes civium discordiae
16 stravere pugnis tristibus.
17 Sic nescio quo vel sinistro sidere,
18 vel (quam deam stulti locant
19 caelo) jubente, ac imperante numine
20 sortis, manet nihil diu
21 felix, vel integrum sua potentia,
22 et gloria, qua floruit
23 primum ; venitque usu fere, ut, quo carius,
24 jucundiusque amplectitur
25 Fortuna quemquam a primo, eo crudelius
26 (si quando vultum obverterit)
27 illum prematque, exerceatque incommodis,
28 durisque verset casibus.
29 Quo Caesaris victorias ? Quo Pompeii
30 bella, et triumphos ? Quo Ducis
31 lusci vel ausus, vel secunda proelia ?
32 Quo Aeschinis artem rhetoris,
33 Demosthenisque fulmen, et linguae decus ?
34 Quo Tullii eloquentiam
35 fortuna perduxit, reservavitque atrox ?
36 Ecquem dedit famae exitum ?
37 Similis sui semper, dea inconstans, quibus
38 ultra modum levi pede
39 concesserat, quo poscerent, mox erigi,
40 concussit inclementius.
41 Et tandem acerbo fato, et indigna nece
42 permisit illos opprimi.
43 Nunc fide Fortunae miser, qui suspicis,
44 colisque, tamquam altum Jovem,
45 Fortunam, et illi numen adscribis sacrum ;
46 nec non preces offers gemens,
47 si quid vel horres, deprecarisve, aut petis,
48 res ut tuae fluant tibi
49 ex voto, et optato. Deae tuae medium

50 ostendet unguem, vel laqueum
 51 mandabit, in sese omnia omnino qui habet,
 52 et mente sana est praeditus.

AD CLAUDIUM COTTERAEUM. EXPETEDAM ESSE MORTEM.

C1_15 v.1 Cum morte vitam quis, nisi plane iners,
 2 et mente nulla, vel stupidum pecus
 3 mutare nolit ? Quis levare
 4 corpore, quis miserum arbitretur ?
 5 An usque eo insanimus, ut opprimi
 6 semper velimus carcere squallido ?
 7 Aut, ut carina, Austro furente,
 8 hic variis subigi procellis ?
 9 Heu, heu nimis ridendum hominum genus.
 10 Quid non mali adfert posterior dies ?
 11 Quid non molestiae, ac acerbae
 12 sollicitudinis undique addit ?
 13 Cuiquam benignus Juppiter omnia
 14 concedat, ut vult, res cupido fluant :
 15 quem porro titillat voluptas,
 16 mollibus illecebris liquescat.
 17 Eccui tamen tum sors sua non gravi
 18 fastidio sit ? Pervigiles trahit
 19 noctes avarus ; huic recursat
 20 immoderata libido semper.
 21 Sed nec voluptas mollitiae sua
 22 plus grata primo est, plus quoque blandiens,
 23 quam noxia ad extremum, et aegra,
 24 plenaque tabifici doloris.
 25 Exoptet annos, fluxaque saecula
 26 annis retexi perpetuis senex,
 27 mustum ac novum toties regustet,
 28 rex Pylius quoties bene hausit.
 29 Illi senectus longa quid adferet,
 30 praeter colorem dissimilem sui,
 31 frontemque turpi ruga hiulcam,
 32 atque genas carie sepultas ?
 33 Quid praeter effatum, occiduum, et tremens
 34 corpus, caputque ? Quid nisi sensibus
 35 truncum carentem ? Ac palati,
 36 ingenii, et veneris stuporem ?
 37 Nunc ergo vitam quo insipiens cupis ?
 38 Quo corpus optas omnibus obvium
 39 morbis, malisque ? Quo precare
 40 perpetuas tibi stulte poenas ?
 41 Ne mortis horre spicula, quae dabit
 42 sensu carere, vel melioribus
 43 locis tegi, et statu esse laeto,
 44 Elysii est nisi spes inanis.

DE HENRICUM LAUTRECUM COMITEM FUXAEUM, ET CLAUDIUM VIDONEM LAVALLUM.

C1_16 v.1 Belli duo sperata fulmina, quo vos vocat

2 aeterna majorum vestrorum gloria,
 3 agedum, ut decet sanguine tam nobili satos,
 4 erumpite animose, complete nomine,
 5 famaue vestra Orbem spatiosum. Agedum, duo
 6 sperata belli fulmina, Marte quaerite
 7 avitum decus ; avis vel cum ipsis contendite
 8 famaue, gloriaeque studio, ut vos decet.
 9 Quod si, ut a puero coepistis, post hac litteras
 10 cum Marte pergetis jungere, quam latior,
 11 quam cultior via ad decus vobis sternitur.

AD NIC. FABRICIUM VALESIUM. DE CUCULLATIS.

C1_17 v.1 Incurvicervicum Cucullatorum habet
 2 grex id subinde in ore, se esse mortuum
 3 Mundo ; tamen edit eximie pecus, bibit
 4 non pessime, stertit sepultum crapula,
 5 operam veneri dat, et voluptatum asseccla
 6 est omnium. Idne est "mortuum esse mundo" ? Aliter
 7 interpretare. Mortui sunt, hercule,
 8 mundo Cucullati, quod iners terrae sunt onus,
 9 ad rem utiles nullam, nisi ad scelus, et vitium.

IN LIPALTUM VERSIFICATOREM MALEDICUM.

C1_18 v.1 Lipalte, scis, quare meorum carminum
 2 diversa non nosti genera ? Omnino inde fit,
 3 quod carminis nullum genus nosti probe.

AD JOHANNEM VULTEIUM. QUALEM VELIT AMICAM.

C1_19 v.1 Amicam volo non nimis decoram,
 2 ne vultu moveat procos salaces.
 3 Eandem volo sat tamen decoram,
 4 ne me a se arceat, et fuget coactum
 5 deformi nimium, et nigrante vultu.
 6 Eandem volo comitate plenam,
 7 facundam, improbulam in toro, at modestam
 8 torum extra. Sit et illa tota facta
 9 ad meum ingenium : quod ipse nolim,
 10 nolit ; sed velit id, velim quod ipse.
 11 Talem, blanda Venus, volo, da, amicam.

AD JANUM GUTTANUM. QUID SIT AMOR.

C1_20 v.1 Utcumque voles, definias amorem. Ego
 2 statuo esse amorem habere rem alterum cum altera,
 3 aut spem brevi habendi. Extra haec, amor nullus prorsus est,
 4 sed potius pueriles ineptiae, et joci.

AD EUNDEM. AMORIS ET ALEAE LUSUM DIFFERRE.

C1_21 v.1 Amoris, aleaeque lusus plane idem est.
 2 Qui ludit alea, tametsi vel vestem
 3 amittat ipsam, nilque sibi faciat tandem
 4 reliqui, nihilominus tenetur spe semper.
 5 Amantem etiam dementia occaecat tanta,
 6 ut quamlibet spernatur, et dominae astutae
 7 sit risui, atque serviat sine mercede,
 8 tamen semiustus spe, assidue haereat ingratae.

AD CHRISTOPHORUM RICHERIUM. QUID DE EO SENTIAT.

C1_22 v.1 Quid sentiam de te, rogas ? Sentio certe
 2 natum bene te ad omnem eloquentiae laudem,
 3 quicquid velis mandare litteris. Quare
 4 fac tam bene natus, ut, quod exspectant a te,
 5 praestes cumulate, nec decus tibi certum
 6 spernas. Superstitem sepulchro esse, id dulce est.

AD FRANCISCUM RABELAESUM.

DE MUTUA INTER SE, ET CLEMENTEM MAROTUM AMICITIA.

C1_23 v.1 Peperere Musae sat beato, et optato
 2 partu Marotum, et post Doletum ; ac utrumque
 3 iisdem fere instruxere moribus, et iisdem
 4 probe artibus ornarunt, siquidem componendi
 5 versus minime vulgari, at indigni, et rara
 6 felicitate. Jam, quibus par concessa est
 7 virtus, amicitia invicem conflagrare
 8 miraris ? Id facit similitudo morum,
 9 et artium earumdem societas concordans.

IN SAGONTUM MAROTO MASTIGEM.

C1_24 v.1 Dum tu Marotum scripto inepto, et ridiculo
 2 laccessis, ac stulte exagitas, quid nam facis,
 3 Sagonte ? Te praebes stolidum, atque ridiculum.

AD PHILIPPUM MELANCHTONEM. QUID MAXIME RIDEAT.

C1_25 v.1 Ridere quae possim, stolidorum, et stultorum
 2 natio mihi multa suppeditat ; sed nil prorsus
 3 magis libet ridere, quam nonnullorum
 4 amentiam, qui, ceu deorum cognati,
 5 Jovisque caeli participes, de diis semper
 6 sermonem habent ; et, qua ad Polum efferri possis,
 7 qua deprimaris in nigri tenebras regni,
 8 docent. Ineptum hominum genus, et intolerandum.
 9 Scilicet accubuerunt Jovi, et divum mensis,
 10 caelestia ut nobis modo isto dispensent.

AD GULIELMUM BIGOTIUM. REGES VOLUPTATE NULLA FRUI POSSE.

C1_26 v.1 Reges posse frui bonis
 2 ullis, seu ratio ventris habebitur,
 3 seu mutonis, ego id nego.
 4 Vino ad labra madens, quis sapor optimus
 5 sit vini, isne probe sciat ?
 6 Pressus mole dapum, quis sapor optimus
 7 iis sit, percipiat probe ?
 8 Scortum semper habens, quis jocus elegans
 9 sit scorti, is teneat bene ?
 10 Summa est, summa voluptas ea prorsus est,
 11 quae raro capitur, diu
 12 exoptata, sui nec nimiam facit
 13 ad vota omnia copiam,
 14 et desiderium nutrit inopia.

AD GULIELMUM BIGOTIUM.

C1_27 v.1 Bigoti, ut utrique sumus familiares, accipe,
 2 familiariter, id quod brevi dictum volo :
 3 te amo unice, et colo unice ; redama me unice.
 4 Amicitiae par sic erimus unicum.

AD CLEMENTEM MAROTUM.
 DE SUA, ET ILLIUS FORTUNA.

C1_28 v.1 Adhuc habes dubium, Marote, cur ferox
 2 Fortuna nos ita exagitet ?
 3 Sane furit, virtutis esse liberos
 4 feliciter factos, quos sua
 5 volebat esse mancipia. Hinc, quicquid potest,
 6 nobis struit frendens mali.
 7 Sed, ut stabilis cautes fremitum ridet maris,
 8 frangitque fluctus horrisonos :
 9 sic impetus omnes Deae durae, atque asperae
 10 viriliter constantia
 11 frangamus ; et, quod non potest numen leve
 12 sortis dare, aeternum decus,
 13 nomenque perpetuum petamus praesidio
 14 virtutis, atque id efficiat
 15 uterque nostrum, aetas ut haec in posterum
 16 dicatur et ter, et quater
 17 (verbo absit invidia, obtrectatioque procax)
 18 felix monumentis tum tuis,
 19 meisque. Sortis posthabitis prorsus bonis
 20 certatim id mecum perfice.

AD JACOBUM VERISIUM.
 IGNORARE SE, QUID SIT INVIDIA, AVARITIA, METUS.

C1_29 v.1 Quotquot in hominem cadunt, fateor me obnoxium

2 affectibus : Irae maxime.
 3 At Invidia, et Avaritia, et Metu vacuus
 4 vivo. Vitia ista alium occupent.

IN PAULUM III PONTIFICEM ROMANUM.
 DE FRANCISCO VALESIO REGE GALLO, ET CAROLO AUSTRIACO REGE HISPANO.

C1_30 v.1 Rex Gallus, et Hispanus quid inter se distent,
 2 nosse est facile. Alter Gallicus leo est. Alter
 3 Hispana vulpes fraude tota consuta.

AD MERLINUM SANGELASIVM.

C1_31 v.1 Monstris abundet Africa admirabilibus
 2 quantumlibet : monstrum quidem mirabilius
 3 nullum tulisse dicitur, quam est mirabile,
 4 te eductum in aula, moribus carere aulicis ;
 5 nempe invidentia, et reliquis vitiis propriis
 6 aulae. Quam id admiratione prodigium
 7 dignum, Africisque portentis mirabilius.
 8 Quam id admirabile est etiam, tumultibus
 9 eductum in aulicis, vigere plus ceteris
 10 nostratis eloquentiae laude, et gloria.

AD DAMPETRUM.

C1_32 v.1 Hic te, Dampetre, qui salute multa
 2 impertit, tuus est Doletus : unus
 3 imprimis cupidus tui Doletus,
 4 nae, si quisquam alius, tuus Doletus.

DE ARCHAGATO CRITONE.

C1_33 v.1 Qui pavit corvos Quaestorum corpore, vermes
 2 nunc pascit, plane vermibus aptus adeps.

DE EODEM.

C1_34 v.1 Mirare, praeter morem ad hujus funera
 2 circumstrepere omnes, exsilireque gaudio ?
 3 Lugere quis potest amicum nemini ?
 4 Ecquis peremptum nolit inimicum omnium ?

AD SUOS LINGVAE LATINAE COMMENTARIOS.

C1_35 v.1 Prima meae monimenta artis, monimenta Juventae
 2 prima meae, tandem auspiciis exite secundis.
 3 Ac longae pertaesa morae, nimiumque retenta
 4 vos desiderium capiat jam lucis, in auras
 5 surgite ; nec petulans hominum vel lingua, vel asper

6 sermo metum injiciat : studio quin luminis ite,
 7 ite (imbecilles animos timor arguit) ite
 8 prima meae monimenta artis, monimenta juventae
 9 prima meae, tandem auspiciis exite secundis.

AD GULIELMUM BUDAEUM.

C1_36 v.1 Eia periclis, quotquot aequor habet minax,
 2 quo dignitatis ad sinum,
 3 portumque nominis applicatur perpetui,
 4 Budaeae perfuncte integre,
 5 nullaque jactura, aut carinae naufragio ;
 6 solventibus e portu, o eum
 7 nobis eum precare cursum, et tam faciles
 8 ventos, quibus ex sententia
 9 tot nos scopulos praetervehi liceat rate
 10 salva, rate salva, atque incolumi.
 11 Nullus Boreasve, Austerve restet , nec maris
 12 ullae procellae turgeant.
 13 Tridente fluctus mulceat pelagi Arbiter,
 14 nobisque sternat, ut potest.
 15 At singula haec quid opto separatius ?
 16 Tantum tuo cursu liceat
 17 uti : quid a rectore freti petam amplius ?
 18 Tantum tuus cursus pateat.

AD EUNDEM.

GALLOS A SUIS SPERNI, ET NEGLIGI.

C1_37 v.1 Budaeae Galliae decus praestabile,
 2 dic, te rogo per liberos
 3 caros tibi, et suaves utroque plus oculo,
 4 recte ne Gallum rideam
 5 externa sic prorsus stupentem, ut negligat,
 6 quicquid suo gignat sinu,
 7 quicquid vel ornati, aut opimi Gallia,
 8 dives, potensque Gallia
 9 et rebus, et viris ferat. Quid ? Num vides
 10 (id quod quidem dici pudet)
 11 ut, si vel ore blaeso apud nos Italus,
 12 vel prorsus infans balbutit,
 13 Hermem putemus nuntium notum Poli,
 14 interpretemque numinum,
 15 Mandata nobis a Jove alto exponere,
 16 Apollinisque uti modis ?
 17 Quod si vel Arpinate erit facundior
 18 Gallus, vel Attico rhetore,
 19 et digna Musarum faciat verba auribus,
 20 ac melle longe dulcius
 21 loquatur, artem barbaram nisi probe
 22 ementiatur, et loquens
 23 utramque buccam inflet, tumescatque, et crepet,
 24 et ima surgant ilia,
 25 suae jacebit Galliae, ac nullam auferet

26 laudem artis, aut pretium eloquii.

AD ITALUM QUEMDAM.

C1_38 v.1 Ardua promittis, solo vel mense disertos
 2 cum te nos juras reddere posse viros.
 3 Promissum hoc nihil est, nihil est has fundere nugas ;
 4 est quoque nil, Musas vel superare novem.
 5 Id tibi cum multis commune est : Gallia centum,
 6 qui facile id praestent, Gallia mille dabit.
 7 Ast aliud nosti solus, quo Pallada vincis,
 8 quicquid et Atlantis scit vafer ille nepos.
 9 Vis dicam ? Nosti reges emungere nummis.
 10 Est id, quo doctum vincere quemque potes.
 11 Hos nobis astus tua si documenta recludent,
 12 quis tibi pro tantis artibus astra neget ?
 13 Major eris Phoebos : quodsi Jovis aula placebit,
 14 tu, Jove depulso, Juppiter altus eris.

AD PETRUM GILLIUM.

MORES, ET NATURAM NON FACILE MUTARI.

C1_39 v.1 Aquae impetum, ignis impetum, quicquid denique
 2 acre est, et vehemens, pellere,
 3 arcereque datur arte aliqua ; datur quoque,
 4 injurias caeli pellere.
 5 Mutare naturam, id non facile est : licet eam
 6 furca repellas, semper redit,
 7 haeretque, quam antea, magis multo sequax,
 8 nec prima linquit vestigia.

DE HELENA PUELLA VENETA,

CUJUS AMORE EXARSIT VENETIIS PRIMA ADOLESCENTIA.

C1_40 v.1 Quae te tam eximie excitabat olim,
 2 quae te olim, mea Musa, tam venuste
 3 Ad jucundam Elegeiam excitabat
 4 blandae deliciae meae, atque amores,
 5 totae deliciae meae, atque amores,
 6 formosa illa Helena, illa tota amores,
 7 quae te olim, mea Musa, tam venuste
 8 ad jucundam Elegeiam excitabat,
 9 dum grato Veneris tepescerem igne,
 10 dum molli Veneris liquescerem aestu,
 11 nunc, quos vulgo Elegeia impudici
 12 lusus cantat amoris, exsecratur
 13 mortis vulnere facta praeda Averni,
 14 formosa illa Helena, illa tota amores,
 15 totae deliciae meae, atque amores.
 16 Ac quo saepe decentius madescit
 17 tristi fletu Elegeia, illa poscit.
 18 Ergo pone jocos, jubet quidem illa,
 19 quae te tam eximie excitabat olim,

20 quae te olim, mea Musa, tam venuste
 21 ad jucundam Elegeiam excitabat
 22 blandae deliciae meae, atque amores,
 23 totae deliciae meae, atque amores.
 24 Formosa illa Helena, illa tota amores
 25 mortis vulnerifacta praeda Averni.

DE EADEM.

C1_41 v.1 Iambe, qui factam mihi omnem injuriam
 2 ulcisceris tuo impetu,
 3 si quando rem vati tuo gratam libuit
 4 facere, incalesce totus, et
 5 morti feroci, quae mihi lucem meam,
 6 vitam meam, atque corculum
 7 ictu suo, fero suo ictu sustulit,
 8 pestem, necem, furcam, laqueum,
 9 corvos, et Orci quicquid umbrae perferunt
 10 cruciatus, ac mali, hic vove,
 11 hic imprecare Morti acerbae, quae mihi
 12 vitam meam, atque corculum
 13 ictu suo, fero suo ictu sustulit.
 14 Mihi doloris pars erit
 15 sedati, Iambe, si (quidem) hoc mihi dederis.
 16 Da, quaeso, Iambe, quod peto.

EJUSDEM EPITAPHIUM.

C1_42 v.1 Quid mirare meum tumulum turgere, viator,
 2 ac ita me sola posse tumere negas ?
 3 Hoc mirare magis : tumulus quam condit, et artat,
 4 post mortis vulnus duplicis esse animae.
 5 Persolvi, fateor, naturae, et vulnere mortis
 6 occubui : constat quemque perire semel.
 7 Sed nec mirandum est, tumulum turgescere, nec me
 8 post mortis vulnus duplicis esse animae.
 9 Nam me sollicitus qui totam ardebat amator
 10 pars animae nostrae, vita vel ipse mea ;
 11 hic mecum certe est, et, quam mihi tollere dira
 12 mors animam cupiit, continet ipse sua.
 13 Nec tantum retinet, luci sed reddere primae
 14 vult, et in amplexus me relevare suos.
 15 Id dum conatur, tumulus turgescit ab imo,
 16 ac, ut spectare est, plus satis inde tumet.

AD CAROLUM CRUXCEIUM.

CUM MOROSE CONSTANTIS, ET PLANE FRIGIDAE AMORE ARDERET.

C1_43 v.1 Amor quid acer possit, audi. Quae nequit
 2 natura rerum praepotens conjungere,
 3 aut conciliare pacifice inter se calida
 4 cum frigidis, rixa, ac tumultu nullo amor
 5 jungit ; calidum nimium me certe maxime

6 cum frigida omnium vehementissime.
 7 Jungit ? Sed et invitum calorem frigori
 8 ita copulat, necessario ut hercle asseras,
 9 nil, quam calorem frigori, haerere aptius.
 10 Exardeo totus ; gelu tota alget ea.
 11 Amo, odit. Haereo, fugit. Blandissime
 12 tigrim alloquor : dictis superbius obloquitur.
 13 Adulor : male lenis ringitur. Praesto denique
 14 omne officium, partesque amantis blanduli ;
 15 cum illa interea se pejus hoste fero gerit.
 16 Sequor tamen nihilominus, magis ac magis
 17 ardens. Quid ? An frigus calor sic non sequitur ?

DE MOTACILLA MERETRICE ROMANA.

C1_44 v.1 Terrestribus satiata mentulis meretrix,
 2 manu facem gerens, ratem
 3 conscendit, ut Phocis etiam, et Tritonibus
 4 signum daret, libidine
 5 sese impotenti ardere. Quid facias ? Facit id
 6 tentigo vulvae intolerabilis.

IN PETULCAM QUANDAM,
 LICET CASTAE, ET PUDICAE NOMEN AUCUPANTEM.

C1_45 v.1 Quid tot mihi figis columbatim oscula ?
 2 Quid labra sugis assidue, cum inguen premas
 3 tuum, et neges vulvam petitam ? Sic nihil
 4 confers amanti ; nec ob eam rem feminae
 5 nomen pudicae, illud quod exoptas, habes.
 6 Nam, quae labella prostituit, vulva haud fere est
 7 casta, futuitque ipsa ore, licet cunnum neget.
 8 Ergo pudoris gnaviter jam transili
 9 fines, et ore quando futuere tibi
 10 gratum est, futue vulva quoque impudentius.

AD RIGALDUM GIOUM.
 DE SCORTO FORMAE JAM DECRESCENTIS.

C1_46 v.1 O Lupae, Veneris genus,
 2 fornix quas alit abditas,
 3 ridete, o Veneris genus,
 4 vestrae facta sororis.
 5 Scortum nobile, et omnibus
 6 mentulis bene cognitum,
 7 insanum modo desipit,
 8 omne negligit inguen.
 9 Omne inguen, nisi divitum :
 10 mutones nihili facit
 11 pauperum, licet arrigant
 12 vel plus sesquipedales.
 13 Vultu dum poterat Jovem
 14 formoso, et roseis genis

15 movere, ut solium Poli
 16 linqueret gravi amore ;
 17 tum illi mentula nulla erat
 18 invisā, aequē minus lupam,
 19 quam lumbi validi, et rubens
 20 penis ipse movebat.
 21 At dum pulcher abit color,
 22 et frontem modo rugae arant,
 23 numos, ut futuat, petit
 24 oldo plena veterno.
 25 Sed errat graviter quidem
 26 moecha : si libuit dare
 27 pro vulva pretium nova,
 28 emit nemo vetustam.

LUCRETIAE MERETRICIS VENETIAE EPITAPHIUM.

C1_47 v.1 Quae tollere pedem noverat omnium optime,
 2 crissareque diserte, et futuere tam bene
 3 lingua, labrisque mollicellis, quam clunibus,
 4 cunnoque succulento, interiit Lucretia.
 5 Lugete vestras delicias, gemite, mentulae ;
 6 Cunnorum fatuorum fugientes Mentulae,
 7 solertium Cunnorum amantes Mentulae
 8 lugete vestras delicias, gemite Mentulae.

DIPHILI FUTUTORIS STRENUI EPITAPHIUM.

C1_48 v.1 Mutonis indefessi, et infatigati
 2 Diphilus ; famelicorum, insatiabilium pastus
 3 cunnorum inexhaustus Diphilus, fato heu duro
 4 nimium occidit ; nimium heu repentino fato
 5 Diphilus, famelicorum, insatiabilium pastus
 6 cunnorum inexhaustus Diphilus, fato heu duro
 7 nimium occidit. Cunnis suam voluptatem,
 8 pastumque inexhaustum invida Mors ita invidit.
 9 Popismata in Mortem effutuite olidi cunni,
 10 araneolis Mortem invidiosam occaecate.

IN QUENDAM, QUI ? NE UXOR REM CUM ALIO HABERET, DIS SCRUCIABATUR.

C1_49 v.1 Frustra timetur, quod vitari non potest.
 2 Timere desine id, quod est certum omnibus
 3 viris. Priapis, non priapo feminae
 4 sunt natae. Itaque, ad quod sunt generatae, suggerunt.

DE DUABUS MALE CASTIS.

C1_50 v.1 Duae stupraram, utramque castae gloriam,
 2 famamque quaerentem. Altera a me denique
 3 relicta, cum altera colloquitur. Tum locus
 4 totus maledictis, et probris me personat.

5 Deserta, carere ut turpitudine, et nota
 6 videatur, in me, criminis quicquid potest,
 7 vomit : recognoscere se simulat altera,
 8 ut non veniat in suspicionem forte alteri.
 9 Sic utraque data opera libens se decipit ;
 10 sed non ideo eluitur meretricum macula,
 11 nec ego maledictis utriusque mage sordeo.

AD CAMILLAM MATRONAM LUGDUNENSEM.

C1_51 v.1 Parum modeste fers, et abs re tam graviter
 2 quidem angeris, quod te notarim versibus
 3 meis, procacioribus, quam par erat.
 4 Te tamdiu latet, poetas sic fere
 5 factos, ut omnia et temere audeant leves,
 6 et mentiantur perpetuo ? Didonem ita
 7 finxit Maro parum pudicam, quae omnibus
 8 excelluisse castitate dicitur.
 9 Non dissimili furore (quod jussit dolor
 10 injuriae acceptae a tuis) juste minus,
 11 parumque prudenter tibi impressi notam,
 12 a te quae abest longissime certe omnium.
 13 Quare Doletus quae antea scripsit dolens,
 14 ride, poeticisque parce (ut lenis es)
 15 nugis ; et hic sedatiore quae loquor
 16 animo, vim habere testimonii puta.

DE ITALO QUODAM.

C1_52 v.1 Tua scripta tam inculta, et male polita, et scabra
 2 quod exeant nunc, nil videtur mirum : hercle
 3 lima carent sua, Longolio nostrate.

AD DETRACTOREM. DE SEIPSO.

C1_53 v.1 Nimis vehemens quod sim, atque acerbus, atque asper
 2 nimis (tamen numquam, nisi serviens causae,
 3 incendor, aut moveor gravius) me eam tu ob rem
 4 privaris omni laude ingenii, ac doctrinae,
 5 mentisque prudentis ? Falleris, et vehementer
 6 erras. Acerbo principio fructu quid, cum
 7 maturuit, magis sapidum, et ad gustatum
 8 natum magis ? Dulcescere omnia non statim
 9 Natura vult, sed sensim acerba convertit
 10 in dulcia, idque cum sapore meliore.
 11 Qui efferbui aetate vehementius prima,
 12 provectiore gratius defervescam.

IN STILPHIUM,
 QUI LIBROS SUOS CHARTA PERGAMEA EXCUDI VOLEBAT.

C1_54 v.1 Cur Pergamea carta tuos vis excudi

2 versus, scio ; diutius non victuros
 3 quod noveris, quam carta (aliquantulum a blattis
 4 innoxia) servari poterit non corrosa.

AD QUENDAM ANTIQUARUM IMAGINUM ET SIGNORUM OSTENTATOREM.

C1_55 v.1 Imagines, simulacraque prisca, quae suspicis,
 2 ego despicio. Scis quare ? Eo
 3 certe nomine, vocales quod amo litteras
 4 tibicines, et cornicines
 5 virtutis. At odi imagines semper tacitas,
 6 similesque morti frigidae.

IN BEDAM GIBBOSUM, ET STRUMOSUM, EXULEM.

C1_56 v.1 Nec ob reductum ver citius, nec quod se aperit
 2 annus diem ante vulgosolitum, Gallica
 3 jam terra ridet, arboresque floribus
 4 nitent novis, ac omnia exuunt faciem
 5 squallore deformem antea. Plane nihil
 6 hujusmodi est, quod laetificet terram ; at quia
 7 a se remotam sentit Aetnam, quam geris
 8 humeris, eam non igne sane fervidam,
 9 sed pestibus ebullientem, et lurido
 10 plenam veneno, tabeque : illo nomine
 11 tellus quidem ridet, nitetque Gallica.

AD COPIAS GALLICAS IN ITALIAM INFLUENTES.

C1_57 v.1 Fata vocant, petite Italiam, Galli ; id jubet retextus,
 2 id ordo fatorum jubet retextus.
 3 Italiam Galli petite. Ira, furorque sortis in vos
 4 resedit : ad arma securi redite.
 5 Ecce deus, deus ecce deus Mars Barbaris amicus
 6 nimium antea, pedem parat referre.
 7 Et, quibus inflixit clades multas, ab imo ad altum
 8 vos eriget, relictis sensim Iberis.
 9 Saepe ita Romanos frangi voluit suos nepotes
 10 victoribus ab Afris diu ; quibus mox
 11 vectis, collegit sese Romana prima virtus,
 12 Carthaginemque diruit superbam.
 13 Eventu simili Hispanum fastum obterent secundis
 14 pugnis aliquando tandem revirescentes
 15 Gallorum vires. Petite Italiam : id jubet retextus,
 16 id ordo fatorum jubet retextus.

AD CLEMENTEM MAROTUM PRO XENIIS.

C1_58 v.1 Tibi pro xeniis vim opum superbam
 2 non mittam (vetat id brevis supellex)
 3 sed majora vovebo : nempe amicum
 4 regem ut Gallum habeas, probeque semper

5 placatum, et studiis tuis faventem.
 6 Porro sanus, alacris, et quieto,
 7 tranquilloque animo, diu fruare
 8 hac luce, et decus assequare scriptis
 9 aeternum. Xenia haecne parva ducis ?

AD AMICAM.

C1_59 v.1 Regumque, fortunaequae vis est praecipua,
 2 cumulare bonis ; at tu potes
 3 praestare mihi majus beneficium : scilicet
 4 tranquillitatem animi. O, cupe
 5 regumque, fortunaequae vincere vim, et mihi
 6 tranquillitatem praesta animi.

IN FORTUNAM.

C1_60 v.1 Quo tibi, dea atrox pectus,
 2 quo tibi furore candet ?
 3 Quas tibi Megaera ex Erebo
 4 vibrat faces ? Quae Erinnyes
 5 movet tibi sic bilem,
 6 aeterno ut ipsa in doctos
 7 feraris insana odio ?
 8 Illosque jugi inopia
 9 premi velis ? Et rebus
 10 modicis misellam vitam
 11 trahere lupino pastos ?
 12 Monstrum ferox, horrendum,
 13 quae te leaena, tigrisve
 14 sub rupe pavit quondam ?
 15 Quae Syrtis, aut Scylla vorax,
 16 quae te Charybdis Ponto
 17 spumante, ceu taetrum aliquid,
 18 expuit ad algam vilem ?
 19 Quod ebur tibi, quaeve silex,
 20 adamasve, durusve calybs
 21 Ilia tibi vallavit ?
 22 Ut, quos deique, deaeque
 23 omnes ferunt in oculis,
 24 sacros Minervae vates
 25 tu sola semper quatias
 26 frendens, nec ullis umquam
 27 ornes bonis dea saeva ?
 28 Superum fidem ; olim potuit
 29 Orpheus lyra, atque arguto
 30 plectro movere manes,
 31 manes Averni nigri,
 32 sistere quoque Hebrum, et silvas
 33 ducere canendo, et canibus
 34 mixtos gregatim lepores,
 35 nec te, dea atrox, poterit
 36 Pallas movere ; nec omnis
 37 montis chorus Pierii,

38 odium jam ut omne abjicias,
 39 quo hactenus acerbe urgeri
 40 libuit fatis, superque
 41 virtutis almam sobolem ?

AD ANTONIUM ARLERIUM.
 QUO MODO OBSERVET REGES.

C1_61 v.1 Reges, duces, et imperatores omnes,
 2 omnesque divitiis abundantes, risu
 3 consector, ingenio nisi abundant tantum,
 4 quantum bonis fluxis. Et in promptu causa est,
 5 quare id faciam. Omnia extra virtutem aspernor.

AD JACOBUM TUSANUM.
 FELICEM ESSE NOSTRAM AETATEM PROPTER EFFLORESCENTIA LITERARUM STUDIA,
 ET EANDEM INFELICEM PROPTER INDIGNORUM QUORUNDAM HOMINUM ODIA
 IN LITTERARUM STUDIOSES.

C1_62 v.1 Optanda o nimium tempora tempora,
 2 lugenda, heu, nimium tempora tempora,
 3 Pallas docta quibus plus satis emicet ;
 4 et Pallas quibus algeat.
 5 Nulla aetas memorat tantam operam datam
 6 humanis studiis, nec magis agnitas
 7 artes ullo atavum tempore, sed deest
 8 nunc regnum studiis suum ;
 9 Maecenasque deest, qui ingenia excitet,
 10 et donis, veluti cuspide, languidos
 11 vates commoveat, ne abjiciant onus,
 12 aut foede jaceant pigri.
 13 Est, quod praeterea frangat alacrium
 14 conatus, revocetque a studio haud parum
 15 multos. Quo siquidem quisquam erit auctior,
 16 et cultus magis artibus,

AD GULIELMUM DURANDUM. DE SUIS LINGVAE LATINAE COMMENTARIIS.

C1_63 v.1 Laboribus immensis sibi aeternam gloriam
 2 pepererit Alcides. Cleoneum manu
 3 valida Leonem exstinxerit ; face contuderit
 4 Hydram, atque Erymantheum perculerit clava aprum ;
 5 canem trifaucem in astra vinctum abstraxerit
 6 (laboris omnia plus virilis) nos ideo
 7 labore vicerit, aut laboris fructu ? Id id
 8 haec haec monumenta nostra labore plena probent.

AD ZOILUM.

C1_64 v.1 Qui dente taetro ridicule laceras scripta
 2 doctorum, et inde Zoili refers nomen,
 3 te Zoili carere nomine obscaeno

4 posthac velim, ac ex invido utilem pulchre
 5 cunctis fieri. Pone invidiam primum ; tum illa,
 6 sermone quae leviusculo obtrectas passim,
 7 exactiora, et absolutiora ex te
 8 fac exeant. Sic Zoilus esse cum probro
 9 mox desines, et utilis fies laude
 10 cum maxima. Proh ! Non probro laudem praefers ?

AD PETRUM TOLETUM. DE JUVENTUTE ET SENECTUTE.

C1_65 v.1 Stultae juventutis facilis definitio est.
 2 Quid ergo juvenus ? Stultitiae
 3 res plena, res effrons, et ad omnia temere
 4 praeceps, rudis, sine consilio.
 5 At quid senectus est ? Sagax recordatio
 6 stultae juventutis : memor
 7 prudentia vitiorum juvenilium, et abstinens
 8 res stultitiae, prudentiae amans.

AD FRANCISCUM RABELAESUM. DE MEDICO QUODAM INDOCTO.

C1_66 v.1 Secti notabat corporis partes medicus
 2 iners, et in docendo inepte garrulus ;
 3 secti jacebat, et silebat corporis
 4 compago. Dic, quaeso te, utrum mutum magis
 5 corona judicaret illic inspiciens ?
 6 An, qui jacebat, et silebat mortuus ?
 7 An ea medicum narrantem inerte, quae quidem
 8 nec ipse ; nec, qui aderant, modo ullo intelligerent ?

IN QUENDAM.

C1_67 v.1 Vestalis esse captum amore te ferunt ;
 2 amentis id est, non amantis, aut proci.

AD NICOLAUM BORBONIUM. DE SEIPSO.

C1_68 v.1 Pertulit et multos aestus, et frigora multa ;
 2 abstinuit somno saepe, ciboque libens,
 3 viveret ut fama celebri post fata Doletus :
 4 quas natura negat, sic cumulantur opes.
 5 Quam natura negat certam post funera vitam,
 6 credidit aeterno nomine posso dari.
 7 Et tu hunc miraris tantos subiisse labores ?
 8 Fecit id optatae posteritatis amor ;
 9 posteritatis amor, quem quis, nisi belua, spernat ?
 10 Heu vita ut nulla est, posteritate carens.

AD CARDINALEM LOTHARINGUM.

C1_69 v.1 Permitterent Superi, et eo nos cumularent

2 bono, ut, qui ad aures regis assident, tam aequo
 3 essent animo erga litteratos, quam semper
 4 te praebuisti. O litteratorum sortem
 5 ter, et quater felicem, id illis si obtingat.

AD ANNAM CLEMENTIS MAROTI, ET RUBELLAM NICOLAI BORBONII AMICAS.

C1_70 v.1 Felices nimium, si bona vestra noveritis,
 2 puellae amatae tam eximie, efflictimque a viris
 3 tam nobili ingenio. Ab amatore uno aliquo
 4 rege ecquid exspectare licet, praeter munera,
 5 opesque magnas ? Sed opibus praestat decus,
 6 aeternaque fama nominis, negotio
 7 nullo quam amatores facile vestri queunt
 8 conferre vobis. Strenuo jam animo, et studio
 9 amate, virgines. Deos plane, haud homines
 10 amatis, aeternum dare nomen qui queunt
 11 scriptis suis. Deos amate, virgines.

STEPHANI DOLETI GALLI AURELII CARMINUM LIBER SECUNDUS.

AD CARDINALEM TURNONIUM.

CAEDIS A SE FACTAE, ET SUI DEINDE EXSILII DESCRIPTIO.

C2_01 v.1 Praecipitantem annum postrema fronte videbat
 2 Janus, et anteriori sensim progredientem
 3 spectabat, cum forte petit me perfidus Hostis,
 4 ac infert ensem jugulo : Hosti obsisto minanti,
 5 et neco, qui conabatur me absumere ferro.
 6 Tam totus Musis haerebam, et Galliam ut olim
 7 illustrem scriptis facerem immortalibus, omni
 8 perficiebam opera. Sed cui sors invida parcit ?
 9 Urbs antiqua fuit, Lugduni nomine nota,
 10 celso structa loco, quam, post incendia, Plancus
 11 Romanas ducens acies, renovavit ad imas
 12 radices montis, qua Gallam vergit in oram.
 13 Hanc Arar in mediam lenta delabitur unda ;
 14 parte alia hanc cingit Rhodanus, fluxuque morante
 15 alter in alterius sese ostia larga recondit.
 16 Dives opum est, bene culta viris, tectisque superba ;
 17 omnibus ad merces patet externisque, suisque.
 18 Tam celebri loco agebam, cum me dura coegit
 19 vis, ut vim facerem, ac invita caede salutem
 20 tutarer. Tum armata cohors, multusque satelles
 21 instat, ut innocuus tenebrosa carcere claudar.

22 Sed turbae ignavae facile est vitare furorem,
23 fallereque insidias. Urbe obstipatus amicis
24 exeo sub lucem. Arvernos primum evolo in agros,
25 tunc duro regnante gelu, ventisque protervis.
26 Protinus apparent altis in montibus orni
27 obductae nive. Per valles praeruptus aquae mons
28 murmure (visu mirum) et tempestate sonora,
29 grandinis in morem terram quatit, arvaque inundat.
30 Arvernos saltus peragranti undosus Elaver
31 se mihi pandit. Iter juvat accelerare secundo
32 flumine. Conscendo ; remis volat acta carina
33 ocius impigris Euris ; hinc inde recedunt
34 agri, urbesque ; cita longum rate verritur aequor.
35 Ast immitis hiems cursum tardavit ; ab imo
36 ecce fere totum glacies impervia remis
37 condensat flumen, crebroque repercutit ictu
38 saltantem lembum, et passim subsistere cogit.
39 Ut bene contento persaepe emittitur arcu,
40 primum vi eximia circumfusum aera scindens
41 Partha sagitta ; comas sed si verna arboris intret,
42 frondibus objectis tandem fit tarda, caditque ;
43 sic glacie fit tarda ratis, quae fluctibus ante
44 par erat in cursu. Tum accenso remige dictis,
45 vi via larga patet : glacies disjecta frequenti
46 remigio cedit. Confestim allabimur alveo
47 longe excurrentis Ligeris, quo vectus ad urbem,
48 urbem illustrem olim Genabum, incunabula vitae
49 prima meae agnosco, patriasque deosculor oras.
50 Illinc, navigio misso, campestribus arvis,
51 celsus equo feror. Ad Regem concedere mens est ;
52 quod facit, ut sedes, quas magna Lutetia complet
53 plebe, petam, Franciscus ubi rex dicitur esse,
54 rex Gallus : quo quid melius ? Quid sanctius ? Aut quid
55 lenius, o Titan, toto circumspicis Orbe ?
56 Hunc ubi convenio, solitum praefatus honorem,
57 talibus aggredior dictis narrare, dolendo
58 quam me jactarat misere sors noxia casu.
59 "Rex pietatis amans, pietas pietatis amanti
60 me securum offert. Fateor, vitalibus auris
61 unum privavi, sed vi praesente coactus.
62 Hoc si summa Parens rerum Natura salubri
63 lege docet, si jura sinunt civilia, vitae
64 defensae veniam justam concede petenti.
65 Primus is est casus (fatum non dixero jure ?)
66 Quo didici, cunctos humanis casibus aequa
67 condicione rapi. Mihi non assueta cruentis
68 caedibus est dextra ; invito tamen accidit, hostem
69 ut telo foderem, et saevis defenderer armis.
70 Da veniam, Rex Magne : reos ut morte coerces,
71 insontes miserans placido sic respice vultu,
72 et servare opta, voluit quos perdere fatum."
73 Annuit his, tutumque jubet discedere. Pallas
74 virginibus comitata novem nos excipit illinc
75 egressos, et laeta suo gratatur alumno.
76 Continuo ad cenam ventum est, quam docta pararat
77 docta cohors comitum. Accumbunt (sua lumina Galli

78 quos merito appellant) Budaeus maximus omni
 79 doctrinae laude, ingenio praestante Beraldus,
 80 et facili eloquio felix ; Danaesius arte
 81 qualibet illustris, vero Thusanus honore
 82 bibliotheca loquens dictus, Macrinus, Apollo
 83 cui dedit omne genus versus ; versu quoque dives
 84 Borbonius, Dampetrus, Vulteius non parvam
 85 de se spem praebens doctis : Maro Gallicus ille
 86 ille Marotus, habet divas qui in carmine vires ;
 87 Franciscus Rabelaesus honos, et gloria certa
 88 artis Paeoniae, qui vel de limine Ditis
 89 extinctos revocare potest, et reddere luci.
 90 Hos inter multus sermo tum nascitur, orae
 91 externae quid docti habeant scriptoris : Erasmus,
 92 Melanchthon, Bembus, Sadoletus, Vida, Jacobus
 93 Sannazarus plena laudantur voce vicissim.
 94 Crastina lux aderat, placuit qua linquere terras
 95 Parisias, et Lugdunum remigrare citato
 96 cursu : maturamus iter. Quam Sequana lambit
 97 gentem, illac via nobis est : ubi Caesaris arma
 98 indomitae toties fulserunt arma maniplis.
 99 Progredimur tandem, vasto qua gurgite findit
 100 Lugdunum longinquus Arar. Tum talia Musae
 101 dant praecepta mihi. Prima nunc utere tutus
 102 libertate animi, et susceptum confice cursum
 103 in studiis ; detrectatorum lingua petulca
 104 non te frangat ; age, aeterno fac nomine saecula
 105 postera testentur Gallum vixisse Doletum,
 106 vixisse ardentem pulchro virtutis amore.
 107 His ubi me monitis stimulare, bicornis ad antra
 108 rupis se referunt. Dictis paremus honestis
 109 Castalidum. Me digna dabo ; sperate nepotes.

AD FRANCISCI VALESIIUM GALLIAE REGEM.
 CHORUS MUSARUM VICEM DOLETI DOLENS,
 CUM LUGDUNO ABIRET POST INTERFECTUM SICARIUM.

C2_02 v.1 Noster alumnus abit : merito non planctibus omnes
 2 rumpimur ? Heu fati invidiam, crudeleque numen.
 3 Cui decus Aonii montis commisit Apollo,
 4 ut nostras artes digno cumularet honore,
 5 tristis in externas terras aufugit, et errat
 6 vim metuens legum, indignas ne pendere poenas
 7 cogatur caede admissa justissima, et aequa.
 8 Ergo ob defensam, propugnataeque salutem,
 9 desertis studiis miser huc, illucque vagatur ;
 10 nec datur ulla quies profugo, mordacibus aeger
 11 tabescit curis, exsiccaturque dolore.
 12 Iudicii hinc metus impendet, suspiria crebra
 13 erumpunt illinc nimio prae pectoris aestu,
 14 ne non forte brevi cartis incumbere possit.
 15 Sic pallor, sic langor edax, sic horrida formam
 16 absumet macies, hominis nec imago manebit.
 17 His, Francisce, potes (Rex re omni maxime Regum)
 18 auxilium tu his ferre potes damnisque, malisque,

19 et luctu afflictum fortunae reddere primae.
 20 Permagna est, est magna quidem tua gloria, Gallos
 21 artibus excultos per te tam insigniter, et jam
 22 doctrinae laude ingenii non vincier ullis.
 23 At non magna minus ducetur gloria, prolem
 24 Palladis et vitae usum ex te, mentisque quietem
 25 accipere. Id per fortunas, regnumque tuum te
 26 sacra rogat turba Aonidum : largire rogata.
 27 Libertas profugo reddatur pristina vati ;
 28 reddatur vates studiis, curaque facessant.
 29 Munere pro tali votum faciemus, Iberum
 30 ut superes fastum, ac orbi domineris ab ortu
 31 solis, ad occasum ; longaque aetate fruare
 32 integer, et salvus, tandem adjungendus Olympi
 33 concilio, et divum aeternos capturus honores.

IDEM MUSARUM CHORUS AD EUNDEM GALLIAE REGEM
 DE HISTORIA HUIUS TEMPORIS A DOLETO SCRIBENDA.

C2_03 v.1 Rebus tuis gestis cupis lucem accedere,
 2 et non perituum testimonium ? Tua
 3 fac lenitate, humanitateque, qui id potest
 4 praestare, curis liberetur, et veniam
 5 a te impetret sicarii occisi. Audies
 6 mox elegante, et arduo stylo, quae tulit
 7 hoc tempus, aetasque. O, tibi quae promittimus,
 8 heu, quam levia, et justa exigimus. Non, cui petitur
 9 venia, aut patriam hostibus scelerate prodidit,
 10 aut parricida est ; non venenum miscuit
 11 cuiquam : viarum non habetur barbarus
 12 obsessor. Id, quod egit, audire expetis ?
 13 Vim vi repulit, tutatus est salutem manu.
 14 Humanus id quis non probet, ut factum probe ?
 15 Mox elegante, et arduo stylo, quae tulit
 16 hoc tempus, aetasque. O, tibi quae promittimus,
 17 heu, quam levia, et justa exigimus. Non, cui petitur
 18 venia, aut patriam hostibus scelerate prodidit,
 19 aut parricida est ; non venenum miscuit
 20 cuiquam : viarum non habetur barbarus
 21 obsessor. Id, quod egit, audire expetis ?
 22 Vim vi repulit, tutatus est salutem manu.
 23 Humanus id quis non probet, ut factum probe ?

AD HUGONEM SALELIUM. DE FATO.

C2_04 v.1 Fati recognosco nimiam efficaciam,
 2 et sorte nos certa regi.
 3 Qui injuriam omnem fortiter semper tuleram,
 4 et viceram constantia
 5 casus etiam durissimos, ecce appetor
 6 sicarii praesente vi,
 7 et impetu tanto, periculoque eo
 8 vitae, ad manus, et vulnera
 9 statim ut mihi fuerit veniendum, et (vah) sine

10 odio, vel incensa gravius
 11 mente, irruendum in irruentem hostem. Occidit
 12 vim vi repellentis manu.
 13 Fato ecquis hoc factum neget ? Dextram deae
 14 Heliconiae dicaverant
 15 cartis, et aeternum exarandis litteris,
 16 quam perpulit fati invidia
 17 (malum) ad necem. Neque id satis damni fuit ;
 18 quod hactenus tenui maximum,
 19 heu, privor otio, exsuloque miser, nimis
 20 (graves gementi hic parcite)
 21 eheu nimis remotus a studio pristino,
 22 amplexibusque dulcibus
 23 carens sororum Pieridum, paulum antea
 24 quas tam assiduas comites habui,
 25 seu nocte, seu die libebat scribere
 26 seu orationem, seu modos.
 27 Distringere, Iambe mi, mi Iambe, nunc tuam
 28 distringere aciem in Fatum invidum,
 29 quod me otio privavit, et necessaria
 30 quiete doctorum studiis.

IN JUDICEM QUENDAM.

C2_05 v.1 Nec me male sana mens, nec acrius odium
 2 ad caedem hominis rapuit ; sed ea
 3 lex, quam a parente accepimus rerum, impulit,
 4 vim ut vi justa repellerem
 5 viriliter, sicariiique frangerem
 6 dirum impetum. Et me sic jubes
 7 tum in carcerem, tum in vincla conjici subito ?
 8 Laqueoque pendulum dari
 9 muscis, velut escam, et pastionem propriam
 10 aut vermibus, aut corvis ? Alio
 11 me servat alma Pallas. Ergo tu potius,
 12 natura quod fert, et sinit,
 13 suadetque, nos egisse perferto, et sinito.
 14 Aut confiteare, sub facie
 15 humana alere innumeras tigres, aut tigribus
 16 immanius, atque atrocius
 17 quicquam, ac inaudita rigidum te barbarie.
 18 Verum quod est, fateberis.

AD CLAUDIUM COTTERAEUM.

DOLOREM TEMPORE TANTUM LENIRI ET MITESCERE.

C2_06 v.1 Dolorem inepte nitimur
 2 ratione lenire : id potest tempus dare,
 3 praestareque solum, non ratio.
 4 Ut si manu arborem bene actis radicibus
 5 coneris ab imo evellere,
 6 perdas operam, ni addas securim ; sic temere,
 7 frustra que tentes tollere
 8 aut aegritudinem, aut dolorem praesidio

9 rationis, accedat ni acies
 10 secantis omnia temporis. Quid inanem igitur
 11 accersam opem molestiae ?
 12 Quin, quae dolori omni mederi creditur,
 13 veniat dies, et tristibus
 14 curis pedetentim illudat. In die id positum est.

AD JOANNEM VULTEIUM.
 QUID IN SUO EXILIO AGAT.

C2_07 v.1 Si, quid in tantis ago nunc periclis,
 2 et meo casu, usque adeo requiris,
 3 aut cupis cognoscere, quae sequuntur,
 4 accipe paucis.
 5 Angor, ut qui vel minime, nec horror,
 6 aut metus me sollicitum ullus ullo
 7 pacto habet. Virtus sua sic dolore
 8 pignora privat.
 9 Non gemo maestus, muliebribusve
 10 questibus caelum quatio ; sed ante
 11 mente qua utebar, mihi nunc et illa
 12 perpetuo haeret.
 13 Nempe ut in laetis bene laeta rebus
 14 sit, et in duro bene firma casu ;
 15 aequa, seu aspiret mihi sors secunda,
 16 seu fera restet.
 17 Plus satis novi, ferat haec inanis
 18 vita quos casus, sit et ut dolorum
 19 plena. Quapropter procul a me edaces
 20 arceo curas.
 21 Scribo, dum arridet mihi Musa : tempus
 22 fallo scribendo, nec inerte solvor
 23 otio. Quid tu ? Tibine haec videtur
 24 sordida vita ?

AD SALMONIUM MACRINUM.

C2_08 v.1 Curas, quibus graviter laccessor, dum pellere,
 2 Macrine, conor fortiter,
 3 Stephanum Robertum forte viso ; ubi, auspicio
 4 bono, tuorum carminum
 5 cerno libros adhuc calentes pondere
 6 proeli. Mihi quod tum putas
 7 partum repente gaudium ? Primum efferor
 8 mira tua elegantia
 9 scribendi, inauditoque Priscis versuum
 10 lepore. Deinde gratulor
 11 feliciter per te ad Polorum sidera
 12 sese erigenti Gallicae
 13 laudique, gloriaeque. Num me gaudio
 14 tunc exsilire aequum fuit,
 15 pulsis molestiis, et aegritudine ?
 16 Macrine, debeo hoc tibi.

AD FRANCISCUM POCRAEUM.

C2_09 v.1 Quod quamlibet causa mea te personam
 2 acturum et offers, et recipis, non id ductus
 3 ullo meo merito facis, sed qua es plenus
 4 humanitate, et singulari erga doctos
 5 studio. Tibi quid gratiae referam ? Sane,
 6 praestare quod docti solent, decus aeternum,
 7 famamque nominis carie nulla annorum,
 8 nulloque temporum senio deformandam.

AD CARDINALEM TURNONIUM LUGDUNENSIS PROVINCIAE RECTOREM.

C2_010 v.1 Quantam mihi tu opem potes ferre afflicto,
 2 tuum si amorem singularem omnino illum
 3 erga studiosos litterarum, et virtutis
 4 serves ? Eum tantum, o eum tantum serves.
 5 Num continuo atque pristinae libertati
 6 restituar, atque omni periculo exemptus
 7 videbor ? Eum tantum, o eum tantum serves
 8 erga studiosos litterarum, et virtutis
 9 tam singularem animum, ac amorem inauditum.
 10 Fortuna sic respondeat tuis votis :
 11 tuaque secundet consilia omnia exacta,
 12 et evigilata, quibus tumultus tam immensos,
 13 tantamque rerum sustines molem, et Galli
 14 regni moderaris prospere, et fauste casus.
 15 Si grata posteritas, quibus plane dignum est,
 16 nomen tuum honoribus celebret non morituris.

AD JOHANNEM PEIRATUN SUPPRAEFECTUM LUGDUNENSUM.

C2_011 v.1 Mihi quod haud ita admodum pridem accidit,
 2 vel maximum infortunium
 3 fuisse certe non negem ; at infortunio
 4 id est relictum commodi,
 5 quod in loco me contigit caedem facere,
 6 ubi domineris, juraque des
 7 tu juris unus omnium observantissimus.
 8 Jure ergo jus a te mihi
 9 non pollicear ? Quod polliceor certe quidem,
 10 eaque spe me carceri
 11 committo, jus meum, innocentiamque meam
 12 fide probaturus tua.

AD ANTONIUM ARLERIUM.

TEMPORE FELICI MULTOS ADESSE AMICOS : TRISTI, ET CALAMITOSO NULLOS.

C2_012 v.1 Quando sors facilis te altius erigat,
 2 et plena cumulet divitiis manu,
 3 concedatque tuis omnia prospera
 4 votis, facta benignior,

5 ecquem tunc tibi amicum adfore non putas ?
 6 Quod non obsequium, quidve operae cito
 7 non deferri ? Ita apes floribus assident
 8 natura bene olentibus.
 9 Quando Sors faciem obvertat, et aspere
 10 te multis agitet casibus, ac malis
 11 tundat, teque bonis exspoliet datis,
 12 paulo facta inimicior,
 13 ecquem tu tibi amicum adfore tunc putas ?
 14 Ecquodve obsequium, quidve operae tibi
 15 tunc deferri ? Ita apes floribus abstinent
 16 natura male olentibus.
 17 Sic, quae arbor fuit optata suis comis,
 18 ac multum placuit frondibus integra,
 19 deformata Jovis postea fulmine,
 20 nulli, nuda comis, placet.
 21 At tu longe alius, quam solet inscium
 22 rerum vulgus amicorum, ad opem volas,
 23 et dandum auxilium cuilibet : ut tuam
 24 nemo jure fidem increpet.
 25 Id non testificer ? Quem simul in bonis,
 26 in damnisque simul perpetuo favens
 27 dulcem, et carum habuisti ; idque potissimum,
 28 cum in me sors fureret minax ?

AD HIERONYMUM FONDULUM ITALUM.

C2_013 v.1 Quod litteratus litteratum tantopere
 2 studes juvare, nil penitus
 3 mirum mihi accidit ; sed accidit mihi
 4 mirum, merito nullo meo
 5 id te facere. Ac, quod arbitratus sum antea,
 6 Gallo Italum parum admodum
 7 aequum ingenio, nunc credere desino ; et incipio
 8 jam credere, doctum minime
 9 docto deesse posse. Virtus id facit,
 10 mi Fondule, qua totus celebris
 11 non solum es hac aetate, sed qua etiam postera
 12 te saecula jure suspicient.

AD FRANCISCUM RABELAESUM. DE GARO SALSAMENRO.

C2_014 v.1 Tuo ingenio, Rabelaese, garum salsamentum
 2 aetate ab antiqua reductum est. Jam nostris,
 3 Marote, versibus celebretur animose,
 4 quando palatum utrique nostrum tam belle
 5 irritat, et stomachum recreat tam odorato
 6 sapore. Res tam grata non est reticenda.

FRANCISCI RABELAESI AD DOLETUM. SE GARO ITEM.

C2_015 v.1 Quod medici quondam tanti fecere priores
 2 ignotum nostris, en tibi mitto garum.

3 Vini addes acidi, quantumvis, quantum olei vis :
 4 sunt, quibus est oleo plus sapidum butyrum,
 5 dejectam, assiduus libris dum incumbis, orexim
 6 nulla tibi melius pharmaca restituent.
 7 Nulla et aqualiculi mage detergent pituitam ;
 8 nulla alvum poterunt solvere commodius.
 9 Mirere id potius, quantumvis dulcia sumpto
 10 salsamenta garo nulla placere tibi.

DE GULIELMO PELLICERO EPISCOPO MONTISPESSULI.

C2_016 v.1 Audiverat Apollo (suum inventum) herbarum
 2 cognitionem non sat bene intelligi, ut olim
 3 eam tradiderat ; quod ferens aegre, Caelum
 4 liquit, latereque voluit subter pellem
 5 Pelliceri. Ab Apolline ergo latente fac credas
 6 cognitionem herbarum accipere te, cum de illa
 7 Pellicerus aut verba facit, aut docet scriptis.
 8 Apollo enim est, latens sub humana pelle.

AD JACOBUM BILLETUM AMANVENSEM SUUM.

C2_017 v.1 Perfuncte mecum strenue, et fideliter
 2 laboribus omnibus, in societatem veni
 3 laudis meae : jam vive versibus meis,
 4 et posteritati dicitur tam sedulus
 5 servus, fidelisque, fuit quam qui maxime.

IN NOBILIUM NATIONEM LITERAS, LITTERARUMQUE STUDIOLOS ASPERNANTEM,
 ET REI MILITARI PARUM IDONEOS ASSERENTEM.

C2_018 v.1 Talpis natio caecior,
 2 quis te vel furor, insaniave impotens
 3 sic fert praecipitem, ut (decus
 4 vitae) despicias munera Apollinis,
 5 contemnasque superbius
 6 artes, eloquium, omnemque scientiam,
 7 qua est secretus homo a feris ?
 8 Gradivi furiis scilicet addita
 9 Pallas vim validam minus
 10 armorum facit, et frangit alacrium
 11 nisus opposito metu ?
 12 Vocem stultitia plenam, et inertia,
 13 indignamque viri auribus.
 14 Mordax calcar equum non magis incitat ;
 15 nec tardam magis aut Notus,
 16 aut Auster rapidis flatibus in fremens
 17 impellit pelagus ratem,
 18 quam virtutis amor, quam quoque Litterae
 19 ignavos animos movent,
 20 impelluntque morantes, et in impetum
 21 omnem robore muniunt
 22 invicto vel ad hosti objicienda, vel

23 ad pellenda pericula.
 24 Virtutis comitatu, et bene Litteris
 25 fulto Gallia Caesari
 26 cessit ; nec potuit ferre diu agmina
 27 Martis Palladis artibus
 28 nixi, quem facile pertulerat prius.
 29 Exemplo simili, cito
 30 Pharnaces cecidit Caesarea manu,
 31 armis quamlibet arduus
 32 esset, nec minimis bella phalangibus
 33 duxisset ferus, et minax.
 34 Quid ? Num praesidiis talibus Africam
 35 Pompeius domuit brevi,
 36 et victor docuit Barbaricos duces,
 37 quam est nullus sine Palladis
 38 adjuncto auxilio Mars, et inefficax ?
 39 Num sic Graecia Barbaris
 40 quantumvis rabido Marte potentibus
 41 injecit jugum, et in suam
 42 intrusit dicionem temere ferus
 43 sollerti sine Pallade ?
 44 Quod si bella geruntur magis et dolo,
 45 et virtutis ope, horridis
 46 quam armis, quid magis aut suppeditet dolos,
 47 aut virtutis opem afferat,
 48 quam Marti socia adjuncta sagax dea
 49 Pallas ? Jure igitur neges
 50 huic cum Marte locum natio caecior
 51 talpis ? Num temere arceas
 52 Bellonam a proprio munere proelii ?

AD JULIUM CAESAREM SCALIGERUM.
 SE SUO DIALOGO IN ERASMUM ROTERODAMUM.

C2_019 v.1 Cogente fato debitas poenas luit
 2 Erasmus, ut qui quoslibet
 3 vel immerentes garrula eloquentia
 4 vexavit : asper in bonos,
 5 supplex remorsuro. Ac perennem credidit
 6 sibi patere nominis
 7 accessionem, nemini si parceret,
 8 et elevaret omnium
 9 praeclara scripta digna vel Demosthene.
 10 Huc usque dixit libere,
 11 quodcumque mens tulit furore percita :
 12 quae nolit, aequum est audiat.

AD EUNDEM. DE EJUSDEM ERASMI OBITU.

C2_020 v.1 Quondam bella ferocia
 2 cum inter se atque duces Romulidae, atque Afri
 3 ducebant animosius,
 4 tum, donec validus, vivus, et integer,
 5 frendensque, atque minans erat

6 hostis, cui, gladio cominus aggredi,
 7 et telo appetere undique,
 8 non laudabile, non egregium fuit ?
 9 Ergo, dum fuit integer,
 10 et pugnae cupidus, spicula senserit
 11 nostra hostis Ciceronis, et
 12 Galli (quae rabies ?) nominis invidus.
 13 Jam jam parcere mortuo
 14 mens est, nec tacitam carpere postea
 15 larvam vulnifico stylo.
 16 Defunctum meritis sic modo laudibus,
 17 o Musae, meritum senem
 18 ornemus. Rapuit mors nimium rapax
 19 Germanae patriae decus,
 20 doctorumque decus, quoslibet Itala
 21 tellus, Gallaque proferat
 22 (te, Budaeae, tamen, te quoque Longoli ?)
 23 Germanae Patriae decus,
 24 doctorumque decus mors rapuit rapax.

AD FRANCISCUM VALESIIUM GALLIAE REGEM.
 DE CAROLI AUSTRICII HISPANI IMPERATORIS FUGA,
 ET CLEMENTIS MAROTI IN GALLIAM REDITU.

C2_021 v.1 Jurene non tota exsultet modo Gallia, Ibero
 2 tam generose expulso hoste, incolumisque Maroti
 3 adventu ? Alterius male sanum tuta furorem
 4 arcuit. Alterius praestanti carmine laudes
 5 aeternas sperat, nomenque per omnia clarum
 6 tempora ; diceturque olim tam illustris acutis
 7 ingeniis, quam Marte potens, armisque superba.
 8 Quis dabit id ? Magnus tum arte, ingenioque Marotus,
 9 non minor aut orbo Graeco, inferiorve Marone
 10 Andino, seu parva canat, seu grandia dicat,
 11 omnia ad argumenta, et res aequaliter aptus.
 12 Jure igitur non exsultet modo Gallia, tanto
 13 vate suo reduce ? Hic non, quotquot Gallia cingit,
 14 ac fluvii, ac agri, villaeque, ac oppida cuncta
 15 laetitiae dent signa suae ? Quin omnia vultu
 16 gratanti excipiant dignum omni laude poetam.
 17 Cum socio Rhodano (quoniam primi estis ab oris
 18 Italicis reduci expositi) fac fluxibus actus
 19 lentis intumeas Arar, et bene gurgite pleno
 20 (indice laetitiae) Gallum testare Maronem
 21 optatum advenisse suis, non omine tristi.

AD MAROTUM HILARI VULTU A REGE GALLO ACCEPTUM.

C2_022 v.1 Jam satis afflixit variis te casibus atrox
 2 Fortuna : sperare incipe.
 3 Collige jamque animum : caelum non semper inumbrant
 4 nubes ; redit tandem prior
 5 lux. Nec ponto alto semper nox incubat aspris
 6 horrenda tempestatibus.

7 Sic non invidiae semper vexabere morsu,
 8 humive diu repes inops.
 9 Eriget oppressum (ut totus pietatis amans est,
 10 et lenitati deditus)
 11 Rex Gallus : spera, jam spera. Novit honores,
 12 opesque virtuti manu
 13 plena largiri. Tali quid Principe frustra
 14 nunc ergo speres, vel cupias ?

AD ANNAM CLEMENTIS MAROTI AMICAM.

C2_023 v.1 Anna, quid enixe dubitas redamare Marotum,
 2 aeternam qui te reddere laude potest ?
 3 Aeternam plus diis ipsis : genus unde verendum
 4 duxisti. O diva virgine dignus amor.
 5 Hoc praestabit amans ; quod amatis nomine pondus
 6 accedet laudis, quantaque fama, vide.
 7 Non certe is solus meritis te laudibus alto
 8 aequabit caelo : te meliora manent.
 9 Quotquot in hoc aevo viguerunt carmine vates,
 10 certabunt nomen concelebrare tuum.
 11 Idque ut certum habeas, magni jam Musa Doleti
 12 incipit excultis te resonare modis.

AD ANTONIUM AUGUSTUM.

DE ANNULO SIGILLATORIO SIBI AB EO DATO.

C2_024 v.1 Sigilla cetera, quibus utimur ad notam
 2 nostram imprimendam Litteris, levem rem imprimunt,
 3 utcumque amoris indicium praebentia.
 4 O quam tuus felicior annulus, mutua
 5 qui nos amicitia ligavit tam insigniter.
 6 Felice sorte conflatus ad id annulus.

AD CAROLUM BRACHETUM.

C2_025 v.1 Animalia cuncta vel rationis tantillum
 2 participia sua latibula habent, quo confestim
 3 se recipiant Jove tonante, aut aliud quiddam
 4 vibrante terris saevius. Et nos hortatur
 5 ratio, ut aliqua molestia conflictati
 6 mox convolemus tuti ad amicum aliquem hercle unum.
 7 Id quod facere videor meo jure, exposcens
 8 opem a te amico, et subsidium tenuitati
 9 meae petens. Rogatum amici ne sperne.

AD JACOBUM ROSTAGNUM.

C2_026 v.1 Id quod decenter factitant homines belli,
 2 ut, quod volunt munus dare, illud omnino
 3 dent, quod sciunt illi futurum tum gratum,
 4 tum suave, tum mire expetitur, cui mittunt ;

5 hoc hercle nunc facio libens, et, quod spero
 6 tibi futurum gratum, et acceptum, dono.
 7 Nam quem scio nullis capi donis tantum,
 8 quantum canoro carmine, et non insulso
 9 versu, saluto versibus te, Rostagne,
 10 Musarum alumne suaviorum, Rostagne.
 11 Ac id tibi precor sub hunc ineuntem annum,
 12 ut laetus aeterna fruaris aetate,
 13 et omnia ex sententia tibi cedant.
 14 Tu fac boni aequi consulas meum hoc munus,
 15 ac singulare exosculeris nostrum in te
 16 studium, et voluntatem tibi usque adeo addictam.
 17 Vel, quod decenter factitant homines belli,
 18 pro litterario meae Musae dono,
 19 mitte aureum non pondere levi, at ingenti.
 20 Sic, quod decenter factitant homines belli,
 21 ut, quod volunt munus dare, illud omnino
 22 dent, quod sciunt illi futurum tum gratum,
 23 tum suave, tum mire expetitur, cui mittunt,
 24 hoc hercle tu facies, dabisque tum gratum,
 25 tum dulce, et in primis mihi optatum munus.

AD FRANCISCUM VALESIUM GALLIAE REGEM.
 DE SUIS LINGVAE LATINAE COMMENTARIIS.

C2_027 v.1 Musae antea consueverant, simul ut belli
 2 suspicio increpauerat, et furebat crudelis
 3 Mavors aliquo in loco, aufugere illinc trepidantes,
 4 pellique de gradu at tuis tectae tectis,
 5 licet fremuerit tota Gallia tumultu
 6 Martis, frematque adhuc laccessita indigne,
 7 suum nihilominus tenent locum apud Gallos,
 8 et finibus nostris nihil dum usquam excessere.
 9 Atque ut memores quietis, et otii per te
 10 sibi dati videantur, hoc tibi munus
 11 grata manu offerunt. Dearum accipe munus.
 12 Nec te tumultus Martis immutent Musis.
 13 Caduca dat furens Deus ille. At aeternis
 14 Heliconiae solae deae beant scriptis
 15 mortale hominum decus. Ergo, ut amas, ama doctos.

AD GULIELMUM BUDAEUM.
 CUM SECUNDUM SUORUM LATINAE COMMENTARIORUM TOMUM FORAS DEDISSET.

C2_028 v.1 Pervenimus aliquando, fuit quo non minimus
 2 cursus peragendus, ante quam
 3 apparuerit meta aestuanti ; sed eo tamen
 4 pervenimus tandem. Jube,
 5 quod est reliqui et cursus sudorisque ad decus
 6 aeternum adipiscendum, bona
 7 adire me ave. Vel optimum omen erit mihi
 8 jussus tuus. Tantum jube.

AD GULIELMUM SCAEVAM.

C2_029 v.1 Te jure laudant multi ob eloquentiam,
 2 atque eruditionem inauditam, et novam.
 3 Haec jure multi praedicant, ego quibus
 4 assentior libens ; sed est aliud tamen,
 5 quo te magis laudem, probem, atque diligam.
 6 Grata est mihi illa suavitas morum, et decens
 7 candor, tibi quo vel truces possis Scythas,
 8 et barbaros Getas cito conjungere.

IN QUENDAM, QUI CUCULLUM ABJECERAT.

C2_030 v.1 Quid profuit pullum Cucullum ponere,
 2 cum, quam Cucullus tum docet, tum adfert suis,
 3 mentem profanam, callidam, et sensus vafri
 4 plenam, scelestam, omnique consutam dolo
 5 tam diligenter, quam antea, serves tibi ?
 6 Te spes fefellit primum, et illa opinio,
 7 qua cum Cucullo duplici mores tuos
 8 posse abjici prorsus putabas duplices.
 9 Ac nos simul multum fefellisti, quia
 10 cum veste dejectam arbitrabamur luem
 11 vestis ; minusque cavimus tum a te, prius
 12 a quo cavebamus Cucullato Plano.

DE LIPTENIO ET CALAEIO,
 VIRIS INTER SE VITIORUM SOCIETATE CONJUNCTISSIMIS.

C2_031 v.1 Liptenius, Calaeiusque inter se amanti
 2 mirum in modum, alter alterum fertque in oculis.
 3 At tu id ne miraris ? Potat uterque eximie :
 4 quam sobrius, ebrius saepe magis uterque, et madens
 5 vino ; obloquitur certatim uterque, ac vellicat
 6 ore improbo famam omnium ; invidia crepat
 7 uterque, nescius, et rudis uterque artium ;
 8 peni, gulaque uterque natus ; ganeo
 9 uterque nobilis ; fluens sanie ficuum
 10 uterque ; moribus malis, et perditis
 11 uterque. Sic ergo optime ardet par parem.

IN PRAEPOSTERA VENERE UTENTES.

C2_032 v.1 Natura quare animalibus cunctis dedit
 2 ad concipiendum commoda
 3 membra, et coitus appetitum ? Numquid ut
 4 genus suum quodlibet animal
 5 propaget ? At praepostera venere qui uteris,
 6 qua nil potest (ut est omnibus
 7 certum) generari, quid minus ex natura facis ?
 8 Ecquid magis contrarium
 9 naturae ? Ad explendas voluptates sumus
 10 nati ? Muliebris non satis est

11 usus ? Stupidis animalibus, et expertibus
 12 rationis (o foedum genus
 13 hominum) videri quamdiu voles spurcius ?
 14 Natura quod docet, sequere.

AD SYMONEM VILLANOVANUM.
 DE NIMIO QUODAM SCRIPTORUM NOSTRI TEMPORIS ADMIRATORE.

C2_033 v.1 Monstrum quoddam hominis leve, atque ineptum,
 2 expers artis homo elegantioris,
 3 cui tam Barbaries placet, Latini
 4 quam sermonis honos parum probatur,
 5 auctores nihili facit vetustos.
 6 Tricas, quisquillas recentis aevi
 7 miratur, velut ardui Poli ignes ;
 8 et si huic aut Ciceronis, aut ab illo
 9 cujusquam bene docti amanter artem
 10 commendes, cecinisse te arbitrere
 11 surdo, qui fidibus lyrae moveri
 12 nec possit, nec amet fides canoras,
 13 sensuque, arteque destitutus omni.
 14 Quod si forte studes inire parvo
 15 sumptu gratiam ab hoc tenebrione,
 16 nil non iudicio hujus, idque abunde
 17 largire, ac Latiae minus peritos
 18 linguae prae reliquis in astra ferti ;
 19 quot quot saecula tulere prisca patres
 20 patres eloquii, negato laude
 21 dignos, cedereque asseras nepotum
 22 nugis. Juppiter, ad tenebrionis
 23 quam pulchre facies inepta vota.
 24 Ne sim, ni te oculis ferat, sinuque.
 25 Crassum crassa adeo juvant : inertis
 26 sic infantia foeda, taetra cordi est.
 27 Extra haec, est aliud, quod impudentem
 28 impellat Nebulonem, ut in Desertos
 29 insurgat ferus, arteque ut carentes
 30 ornet plus nimio sua Camena, ;
 31 illorum siquidem eruditionem
 32 quod nullo queat assequi labore ;
 33 atque hos quod facili negotio omnes
 34 speret posse sequi rudes magistros.

AD MICHAELEM ANGELUM PICTOREM ITALUM.
 DE POETAE ET PICTORIS DIFFERENTIA.

C2_034 v.1 Pictor, poetaque dissimiles in quo inter se
 2 sint, non id est parvum, tametsi dicatur
 3 uterque pingere. Alter enim non peritura :
 4 delectabilia alter pingit, et mox moritura.
 5 Ita interiere signa Praxitelis jam jam ;
 6 et sic Apellis tabulae carie absumptae
 7 tandem obsolverunt. At poemata Andini
 8 vatis, Pelnique Ovidii aeternum vivunt,

9 viventque perpetuo magis ac magis clara.
10 Pictor, poetaque dissimiles modo isto sunt.

AD AEGIDIUM BOHERUM.

NIMIA PRUDENTIA ET RERUM COGNITIONE QUANTAS VITAE SOLICITUDINES ET MOLESTIAS AFFERRI ; QUANTIS CONTRA STOLIDOS MOLESTIIS, ET CURIS CARERE.

C2_035 v.1 Desipere, et stolidum esse in vita, quam nimis sagacem,
2 cautumque, prudentemque, diffitearis
3 praestare ? In stolidum quae cura cadit gravis, vel altum
4 somnum eripiens ? Ludit, potat, palato
5 servit (seu dapibus, seu vino quaeritur voluptas)
6 potum, atque bene curatum laccessit
7 sollicitudo nulla ; hilaris semper diem revolvit
8 post alterum alterum : nonne is beatus ?
9 Prudentem, sapientem, vel paulo magis secundo
10 (hominum loquitur sic vulgus imperitum)
11 et dextro nato ingenio quae cura laxat ulla ?
12 Amet, Venerem colat ; aut amplos honores
13 ambiat, in virtutem incumbat, litterisque famam,
14 et sempiternum nomen aucupetur.
15 O stolido, et stupido quantum cedit (tametsi utrique
16 sit cursus susceptus) caret alter omni
17 sollicitudine, consequiturque velut joco, quod optat ;
18 tabescit alter curis, uriturque
19 igne gravi studii, quo spem concepit. Heus beatum
20 nimis, stolidum ; et infelicem, sapientem.

AD JOHANNEM TURNAEUM ET VINCENTIUM PILETUM COMBIBONES SUOS.
BACCHUM VOCAT, UT IN CONVIVIO ADSIT.

C2_036 v.1 Ubi ubi locorum, Bacche, agas, huc fer pedem,
2 adducque tecum omnes Charites.
3 Curae aufugient praesente tuo sacro Numine,
4 curae aufugient praesente te,
5 conviviis male commodae Curae, nec satis
6 potationibus propriae.
7 Cantu, jocis, saltationibus fremant
8 aedes ; severa absit facies,
9 vel frons gravitate plenior : certetur bene
10 animose, et enixe scyphis.
11 Id postulat iste dies, agatur genialiter ;
12 longe facessant consilia,
13 prudentia, temperantia : quisque hic desipiat,
14 totusque liquescat gaudio.
15 Non absque te, Pater Lyaeae, continget id
16 nobis : pedem huc confer, tuo
17 nunc incalescamus potenti munere.
18 Huc tu Lyaeae ades Pater.
19 Haedos tibi mactabimus centum ; tibi
20 celebrabimus Bacchanalia.
21 Vinum (tuus liquor) ingenii quicquid parit,
22 praestabimus nullo dolo.

AD CLEMENTEM MAROTUM LUGDUNO ABEUNTEM.

C2_037 v.1 O omnium, qui sunt, fuerunt, atque erunt,
 2 amice suavissime, et omnium
 3 o omnium sodalium fidelissime,
 4 sine me, sine me ergo abiveris ?
 5 Fiet nihil minus. At mei tu pars maxima,
 6 locorum ubivis degam, eris
 7 mecum ; atque ego tui pars multo maxima,
 8 quo quo locorum pergas, ero
 9 tecum. Locis sejungi amici, non animis
 10 possunt. Itaque una usque habitabimus.

AD JACOBUM LODOICUM.

C2_038 v.1 Animam Ciceronis dividamus, Ciceronis
 2 animae tu, et ego receptacula. Per me tradat
 3 sermonis elegantiam. Per te inculcet
 4 artem disertae rhetoricae, et suaviloquendi.
 5 Felix Ciceronis anima ita in nobis tecta.

AD GODEFRIDUM BERINGIUM.

C2_039 v.1 Optare desine, id quod assecutus es
 2 dudum, eloquentiae, et ingenii
 3 opinione mea tui. Doctis omnibus
 4 cum sponte amicus sum mea,
 5 tum vero amantes me redamare non gravor.
 6 Quare in meis te jam esse puta.

AD EUNDEM.

C2_040 v.1 "Inter Latinos est poetas maximus
 2 Vergilius ; inter rhetores est Tullius.
 3 Lumen Doletus universae Galliae
 4 verumque si non vincit, exaequat tamen."
 5 Hoc dicis, Godfride : sed utinam tam verissime,
 6 quam amicissime. Ea esset denique mihi summa laus.

UT SE DII XENIIS PROSEQUANTUR, QUANDO SIBI A MORTALIBUS DESUNT.

C2_041 v.1 Nobis xenia a mortalibus desunt : ea
 2 conferte dii superi. Hic quid rogo ?
 3 In corpore sano mentem hilarem, et affectibus
 4 cunctis vacuam illaudabilibus.
 5 Adhaec, mihi ut liceat potenti vestra ope
 6 ex Litteris, quod spero, decus
 7 tandem assequi. Sic negligam facile xenia
 8 mortalium, felix magis.

AD JACOBUM BORDINGUM. DE PHILAUTIA HUMANA.

C2_042 v.1 Num insanus amor sui ? Num amor sui caecus ?
 2 Putesne stultum, indoctum, avarum, sceleratum
 3 sortem suam cum forte prudentis, docti,
 4 largi, innocentis velle commutatam ullo
 5 pacto ? Aut si in aliquo aliquis placeat sibi plus aequo
 6 (etiam id velim positum sit in virtute) huncne
 7 putas cumulari velle aliquanto parte
 8 majore virtutis ? Sic sumus omnes facti,
 9 natura sic omnes genuit. Vitiis caeci,
 10 virtute contenti, nimium superbimus.

IN AULICUM QUEMDAM.

C2_043 v.1 De quopiam quae sentiam, quod aperte loquar,
 2 et scribam, eo me nomine
 3 nimiae vehementiae insimulas. Te quo crimine
 4 notabo, quod praebens, nihil
 5 non et probas, et laudibus effers ; at postea
 6 laudata rides clanculum ?
 7 Certe videri simplicem, non me paenitet ;
 8 et in hoc quidem nullam vereor
 9 prorsus reprehensionem. At haberi duplicem,
 10 aliudque dolo loqui, atque aliud in pectore
 11 gestare, condereque, id sceleratum nemo negat,
 12 et esse plane indignum homine.

AD HUGONEM SALELIUM.

DE CONSILIATA SIBI AB EO AMICITIA BERTRANDI PRAESIDIS PRIMARII THOLOSANI.

C2_044 v.1 Diu cupivi, nec parum vehementer diu,
 2 unum nosse aliquem, qui simul
 3 gravitate, simul et comitate sibi pareret
 4 mirationem hominum. Et id est
 5 ipsum, quod ipse praestitisti beneficio
 6 mihi tuo ; siquidem virum
 7 plus ceteris facilem, atque gravem in tempore, cum mihi
 8 adjunxti. Utriusque sortem bonam.
 9 Tuam, quod in me contuleris beneficium
 10 tantum, meam, quod acceperim.

AD NICOLAUM BORBONIUM.

DE EDITIS AB EO EPIGRAMMATUM LIBRIS.

C2_045 v.1 Saecla antiqua suas habeant laudesque, decusque.
 2 Quid tum ? Carebit ergo suo nomine posteritas ?
 3 Posteritas dicetur iners ? Sordebit ut omni
 4 indigna laude, et gloria ? Non ita. Protulerint
 5 laude omni cumulos patres tempora prisca,
 6 suum tamen locum nepotes merito retinent.
 7 Nec vetat aut caeci vatis, vel Musa Maronis
 8 divina, quin heroico carmine laudem aliquam ;

9 laudem vero aliquam ? Immo dignam aetate perenni
 10 facile assequi (ut ipsi illi) queas. Docte Catulle minus,
 11 tuque Tibulle minus vetuistis ludere versu
 12 mansuro in omne tempus, et vestra poematia
 13 longe, multumque exsuperanti Borbonium, arte
 14 magnum arte Borbonium ? Sua habet lumina posteritas.

AD G. HERISSAEUM ET I. CAMBRAEUM
 ADOLESCENTES OFFICII PLENOS, ET ERUDITIONIS NON VULGARIS.

C2_046 v.1 Ingrato animo pejus nihil odi. Quapropter
 2 in vos ut ingratum me non foede praestem,
 3 necesse certe est, ut testificer, a vobis
 4 in tempore officia quanta accepi pridem.
 5 Sed quid testificari studeam, vel narrare,
 6 quae nec testificari, nec etiam enarrare
 7 possim satis ? Praestat cedere tantae moli.

AD NICOLAUM PARIM CAMPANUM.

C2_047 v.1 Pede quo coepisti, jam reliquum vitae cursum
 2 hilaris perage, et semper retentam constanter
 3 libertatem animi in omni casu, vel damno,
 4 etiam nunc retine constanter. Te viventem
 5 eo modo, quae fortuna ducum, vel regum
 6 vincet felicitate ? Euge, vive ita felix.

AD GULIELMUM BELLAIUM LANGIUM.

DE OPTATISSIMIS EXPUGNATARUM A GALLIS IN ITALIA HOSTILIUM ARCIUM NUNTIIS.

C2_048 v.1 Jurasse Fortunam in malum, ruinamque
 2 vel sempiternam, vel diuturnam Gallorum,
 3 falsum est. Resipiscit, et docet stultos, rerum
 4 vicissitudinem esse certam ; nec vires
 5 virtutis oppressae semel, non tandem alte
 6 magis erigi posse. Hostis ergo non certo
 7 nunc credat exemplo, suum Gallae genti
 8 certum esse triumphum ; et ferocem Fortunam
 9 in nos satis irruisse mente furiata ?

DE ROMANIS IMAGINIBUS A GULIELMO CAULIO CIVE LUGDUNENSI COLLECTIS.

C2_049 v.1 Si Roma Romulum suum coli studio
 2 tanto, quod ab eo primordia
 3 falsum est. Resipiscit, et docet stultos, rerum
 4 annos vocari Orbis caput ;
 5 tanto pariter studio Gulielmum Caulium
 6 colat operae pretium est, ope
 7 cujus, semimortua ante, et tetrus tenebris
 8 sepulta, nunc lucem redit,
 9 suaque omnia habet monimenta illustria non minus,
 10 quam ipso illo avorum tempore.

AD JOHANNEM LANGIACHUM EPISCOPUM LEMOVICENSEM.

C2_050 v.1 Nobis munera quod perampla donas
 2 ex tantis opibus, quibus fatiscit
 3 arca ingens, nihilo videre major.
 4 Es magnus genere, atque mente celsa,
 5 magnus consilio, bonisque magnus ;
 6 es magnus quoque quod plagas obisti,
 7 quot quot cingitur Orbis ipse vastus,
 8 Afros, Hesperiam, Herculis Columnas,
 9 anfractus Asiae, ac Scythas feroces ;
 10 et quos Oceanus Pater potenti
 11 ambit margine, terminatque fluctus,
 12 tranasti celeri frequenter alno.
 13 Non, qui saecula multa vidit olim
 14 Nestor, Dulichiusve dux Ulysses,
 15 annis qui secuit freta alta multis,
 26 te rerum superarit omnium usu.
 27 Vis dicam ? Magis hoc videre magnus,
 28 quod te nemo quidem est in Orbe major.

AD JOHANNEM PINUM.

C2_051 v.1 Laudent avari, vel stupeant, quibus
 2 tanto bonorum mens studio furit,
 3 sprete ut salute pervagentur
 4 Carpathium, Siculumque pontum,
 5 ac Barbarorum Sauromatum plagas,
 6 vel si quid ultra est Indica climata,
 7 ut tandem opum suarum acervos
 8 Pyramidum tumulis adaequent.
 9 Laudentur et qui magna palatia
 10 regum terunt, ut splendidi honoribus
 11 vivant superbe, vel perinde ac
 12 semidei a rudibus colantur.
 13 Te, Pine, laudo, quod modicum putes
 14 magnum, ferasque id, quod minus est, ut id,
 15 quod plus, et amplum est : nempe avaros
 16 non animos satiant bona ampla.
 17 Vitam quietam ducis, et omnibus
 18 curis solutam, fervida nec tibi
 19 instat libido honorum, opumve,
 20 terque, quaterque beate praesul.
 21 Talis decet te vita, boni Dei
 22 cui ultro dederunt altum animum, et gravem,
 23 et negligentem sordium Orbis,
 24 quas humiles animi sequuntur.
 25 Non te fugit, mox tempora cedere,
 26 lucem alteram mox trudier altera,
 27 ac nos voracem subter Orcum
 28 praecipitare diebus artis.
 29 Contentus ergo, quae superest, age
 30 vitam, nec angat canitiem senis,

31 quae annis virentem te nequivit
32 sollicitare cupido caeca.

AD MARGARITAM VALESIAM REGINAM NAVARRAE.

C2_052 v.1 Proli suae Pallas timens, et anxie
 2 affecta, ne artium rudes,
 3 vulgusque iners tractaret illos aspere,
 4 injuriaque laederet,
 5 quos ingenio elegantiori nobiles,
 6 et perpolitos litteris
 7 huc mitteret doctarum ab antris Virginum
 8 te litteratis obtulit,
 9 cujus potenti auctoritate, et gratia
 10 tegantur, atque commode
 11 et vim imperitae plebis, et diras minas
 12 vitent furentium hostium.
 13 Nil ergo mirum, si receptos in tuam
 14 fidem rogatu Palladis
 15 doctos colas, ames, tuearis, et libens,
 16 quibus potes rebus, juves.
 17 Ira jam iniqui frendeant, ira crepent,
 18 laudi id tibi, atque gloriae
 19 dari moleste qui ferunt, et detrahunt,
 20 quo clara flores, nomini.
 21 Mirabitur te, et laude multa posteris
 22 mandabit illustris cohors
 23 cohors alumnorum Minervae, cui hactenus
 24 praesto fuisti omni loco.

AD FRANCISCUM VALESIUM FRANCISCI VALESII REGIS GALLIAE FILIUM.

C2_053 v.1 Regis propago, quem manet regnum potens
 2 et vastus Orbis expetit
 3 sibi Imperatorem, meis te versibus
 4 non forte tanto numine
 5 dignis saluto ; sed suas quae nunc tremens
 6 exercet alas (ut tener
 7 pullus columbae, dum brevem nidum fugit)
 8 audax volabit postea,
 9 tecumque crescet nostra sensim Musula.
 10 Dicet sonoris cantibus,
 11 quas tu domabis strenue oras proelio,
 12 et quae tropaea Galliae
 13 victor triumphato hoste Barbaro eriges :
 14 dicet, quibus terrori eris.
 15 Virtute macte perge multa gloria
 16 nomen tuum diffundere.
 17 Ego tibi si sentiam probarier
 18 nostros labores, et tuo
 19 plausu foveri, adnitar, aevum ut posterum
 20 te ipsum loquatur, et colat.

AD GULIELMUM BIGOTIUM.
DE TELLONIO, EXTERNORUM INGENIORUM ADMIRATORE ET SUORUM,
ID EST GALLORUM, CONTEMPTORE.

C2_054 v.1 Suos, id est, Gallos et eloquentia,
2 et eruditione quamlibet celebres
3 Tellonius spernit, neque vel levissimo
4 sermone, verbove hos juvat ; at vero Itala
5 tellus inertis grammatici quicquid fovet,
6 velut Cicerones, Vergilios, Horatios
7 amat, colit, donis beat, auget, et cumulat.
8 Praepostero Tellonium ingenio esse neges ?
9 Suis neges ingratum, et iniquum Patriae ?

AD LUDOVICUM GREGORIUM.

C2_055 v.1 Sunt summa, quibus laudaris : integritas vitae,
2 fides, amicitia, officium in omnes promptum,
3 praestantia ingenii, eruditio magna.
4 Heu, vive felix gloria tanta, et laude.

VENEREM A SE AUFUGERE JUBET.

C2_056 v.1 Frustra, Venus, mihi jecur tentas novo
2 igne, ad tuas obdurui
3 flaminas, nihil tecum mihi isto tempore
4 commune certe est : impetus
5 caecae juventae dum ferebat, et calor
6 aetatis effrenae, tuis
7 plus forte, quam castum decebat, parui
8 jussis fuit gratum improbo
9 amore vinci. At alter ignis jam occupat,
10 diu nimis qui canduit
11 incendio tuo ; alter ignis me occupat
12 ignis pudicae Palladis,
13 sanctusque Litterarum amor, decens amor ;
14 mihi furit, furit mihi
15 ille in medullis Palladis decens amor.
16 Quem nec pharetratus Puer,
17 nec tu dolis ullis repelles, ut locum
18 spurcis relinquat lusibus.
19 Abi in malam crucem, dea impudica, abi
20 mortalium pestis fera.
21 Quod nunc nisi actutum uspiam te conferas,
22 ac desinas laccessere,
23 erit tibi res cum cruento Gorgonis
24 vultu, quem habet tectum Aegide
25 Pallas. Quid ? An vim Numinis tanti feres,
26 imbellis, et mollis dea ?

PROLOGUS LUDIMAGISTRO CUIDAM ACCOMODATUS IN ACTIONE COMMOEDIARUM TERENTII.

C2_057 v.1 Prudentis, et boni secutus officium,

2 fide[m]que p[rae]ceptoris, huic commissae mihi
 3 tenerae iuventae non aniles fabulas,
 4 nugasve futiles studui inculcare ; at ea
 5 visum est docere, quae et polirent eloquio
 6 linguam, excolerentque mores eximie eximia
 7 morum reprehensione ; nempe Terentii
 8 comoedias, quas si fuit gratum legere
 9 verbis aliquando juvenibus, gratum sit quoque
 10 audire, dum hic aguntur ; ac si quid minus
 11 recte, decoreve a juvenibus actum erit,
 12 verbis facite ut subito veniat in mentem omnibus,
 13 venisse vos huc condecoratum juvenum
 14 ludos vestra praesentia, non undique
 15 exacta spectatum, neque adversa accidat
 16 admurmuratione vestra, uti juvenum
 17 erecti in hanc operam animi, mox concidant ;
 18 nostraeve industriae intereat fructus inaniter.
 19 Agedum, silentium date, et nos tam placidi
 20 audite, quam vos circumspicimus nunc cupidi.
 21 Aequanimitatis sic assequemini
 22 laudem, et stimulum nobis subicietis maximum,
 23 in posterum ut vobis placere hujusmodi
 24 exercitationibus optemus acrius.

IN NICOLAUM BERARDUM.

C2_058 v.1 Mecum, Berarde, gaudio exsulta. Causa est
 2 justa, ipsa certe illa , Patriam nostrum utriusque
 3 Genabum quod aevo nostro videamus magnis
 4 tot ingeniis florere. Patriae laude
 5 gaudere, sane aequum est. Ob id gaude mecum.

AD BRIANDUM VALLAEAM. DE BURDEGALENSI SENATU.

C2_059 v.1 Aliis Senatibus suam laudem, si qua
 2 sunt digni, ego non detraho ; id vero, ut certum,
 3 a me volo tradi posteritati, illum ipsum
 4 coetum Burdegalensis Senatus, aetate
 5 nostra, sine controversia habitus, et dictum
 6 senatum omnium integerrimum. O, o laus !
 7 In ea tenes primas Briande Vallaea.

DE FERRONI COMMENTARIIS IN CONSTITUTIONES BURDEGALENSES.

C2_060 v.1 Loquacitate Leguleiorum absurda
 2 opus vacuum, sensisque bonis, et argutis
 3 plenum, eloquentiaque contextum mira
 4 legere expetis ? Tibi id in manu est, atque in promptu :
 5 doctos bene Commentarios lege Ferroni.

AD POMPONIUM TRIVULSIUM LUGDUNI RECTOREM, TYPOGRAPHI LUGDUN.

C2_061 v.1 Fuerit Tityro ille deus, ei qui permisit,
 2 quae vellet, agresti calamo ludere, et agnos,
 3 bovesque ducere libere per florentes
 4 campos. Eris nobis deus, qui permittis
 5 solita frui nos laetitia, et libertate.
 6 Ob id, viridem tibi pinum consecratam
 7 accipe vultu, atque animo, tibi quo consecrata est.

AD RUBELLAM NICOLAI BORBONII AMICAM.

C2_062 v.1 Amare dulce est, atque honestum ; sed amare
 2 amore dignos, in primis id laudandum est,
 3 et gloriosum. Laudem in amore ergo quaeris ?
 4 Amore dignum Borbonium ama certatim.

AD JACOBUM BILLETUM AMANVENSEM SUUM.

C2_063 v.1 Billete, comes laudisque, glorjaeque meae,
 2 et serve fidelissime, diu satis dedimus
 3 operam operibus vastis. Juvet nunc nos ludere
 4 minoribus, et ad tempus animum reficere
 5 jocis. Placent non semper ardua, et gravia.

CARMINUM LIBER TERTIUS.

AD IOANNEM BOYSSONAEUM.

C_3_1 v.1 Non quod nostra tibi velim negata,
 2 nostra haec Carmina tamdiu negavi ;
 3 sed quae laeto animo mihi Sorores
 4 dant sanctae, male tersa saepe scripta,
 5 non abs re pudet, ut venusta, promi.
 6 Mecum multa solutius jocatur,
 7 colluditque Heliconis alma turba
 8 paulo liberius suo cum Alumno,
 9 quae non ipsa velit, simulque nolim
 10 emanare, velut stupenda quaedam.
 11 Id, ne mox precibus tuis putarem
 12 parendum, obstitit acriter, diuque.
 13 Verum dum memini meas amico
 14 nugas mittere, gnaviter pudoris
 15 fines transilii timore nullo.

16 Nam naevos in amico amicus ultro
 17 nullos non probat, ac deosculatur.
 18 Laudabis, quae alienus improbaret ;
 19 admittes, quae obelis notaret alter ;
 20 versus, quos nihili extimet severus,
 21 tu vel Vergilii pares Camenae
 22 credes ; prae me etiam tibi Catullus,
 23 Pelignique poetae amoena Musa,
 24 et quot quot tulit ipsa Pallas olim,
 25 frigeunt. Ita caeca vis amoris
 26 nil non, cui studet, impudenter addit.
 27 Sed tu per tuum, et utriusque amorem
 28 nugas hasce meas amore tantum
 29 complectare, nec efferas inani
 30 opus laude, rude, et modo inchoatum ;
 31 ne, qui haec iudicio acriore posthac
 32 emendare volet, tibi parum aequus,
 33 sitque asper nimium, mihi dum inurat
 34 labem, et censeat omnibus minorem,
 35 quem tu carmine docto, et eleganti
 36 majorem omnibus esse ubique certas.

AD EUNDEM.

C_3_2 v.1 Doctos nemo stupet tam esse Tholosae acri odio, canes
 2 quam sunt tum lepori, tum lupus agnis ; siquidem probat,
 3 miraturque libens quisque, quod antehac bene noverit.
 4 Captus lumine Zeuxim, vel Apellis Venerem, aut opus
 5 rarum quoddam aliud vel nihili, vel minimi extimet ;
 6 nec sane id magis mirum, quam asinis barbiton, et lyram
 7 sordere, apposito ad rustica tantum, et tribulos gregi.
 8 Verum plus reliquis hoc stupeam, ex urbe rudi artium
 9 te tandem exsiliisse, usque adeo Barbariae asperum ;
 10 ac, quas pejus et angue, et cane vitat rudis Urbs tua,
 11 te nil carius amplecti, et amare artibus omnibus.
 12 Quare, quo pede coepisti, iter hoc confice strenue,
 13 ut, qui te manet aeternus honos, te excipiat brevi,
 14 et fructus capias ex studiis, quos parit hic labor.
 15 Nec frangant animum, consiliumve excutiant tibi
 16 vulgi ridiculi, et plebis ineptae strepitus leves.
 17 Fert cautes facile vim maris, et fluctibus integra
 18 obstat, quamlibet et spumet, et undae tumidae fremant.
 19 Quae faex quaedam hominum mente carens, egregie scyphis
 20 exhaustis maledicet tibi, ride, neque contrahe
 21 frontem : libera curis, graviorique molestia
 22 sit semper tibi mens, teque modo orna bene litteris.
 23 Fac, quem paene tenes, celsi Heliconis quoque verticem
 24 jam cernas propius. Fide labori, ex animo id cadet,
 25 gaudebuntque deae Castalides te celebri choro
 26 vatum laurigerorum adjicier : tum violis novum
 27 sparget quaeque poetam, et variis cantibus efferet.

AD VERSUS SUOS.

C_3_3 v.1 Exercitatio juvenilis mea, mei
 2 versus juveniles (quemadmodum
 3 aut velites rudes, vel armaturae equites
 4 levis) vagamini, currite,
 5 quovis loco ponite pedem animosi, irruite,
 6 laccessite, parcite nemini ;
 7 explorete viam, facite periculum, discite
 8 certamine assiduo, ut erit
 9 tutum triariis meis exire domo
 10 posthac. Renuntiate mox,
 11 ecquid in aliquos parandum, et ornandum joci,
 12 vel proelii sit. Certo scio
 13 Minervae inimicorum impetu multo, et fero
 14 vos appetitum iri ; sed duce,
 15 auctoreque vestro freti, in agmen hostium
 16 et spiritu, atque animo pergite
 17 invicti. Aderit laesis potens Pallas eum Aegide,
 18 nec opprimi patietur suos.

AD CLEMENTIS MAROTI LIBRUM, QUEM EXCUDI CURARAT.

C_3_4 v.1 Auctoris arte tui superbus in lucem
 2 exi Liber ; sed non minus superbe unguem
 3 ostende cuilibet, nitore tam raro,
 4 mendisque nullis exiens nunc in lucem.
 5 Exire sic te voluimus nomine amici
 6 purum, nitidum, tersum, et carentem omni labe.

AD IACOBUM ALNETUM.

C_3_5 v.1 Dat separatim Phoebus, aliis Medicinae
 2 peritiam, aliis Poeticos lusus.
 3 In te prolixam magis, et beneficam fudit
 4 Naturam, qui te tam cumulate ditavit
 5 utroque munere. Vah, quantum debes Phoebos.

IN AULICOS SCIOLOS QUOSDAM INEPTE DE DOCTORUM SCRIPTIS INDICANTES.

C_3_6 v.1 Faeces hominum, venti, nebulae, atque quisquilliae,
 2 algaeque, floccique, et male olentia stercora,
 3 inania pondera terrae ; onagri, beluae,
 4 umbrae vacuae sensu, cucurbitae, gravi
 5 somno papavera plena, mortis imagines,
 6 quid Litteratorum labores indiciis
 7 censetis absurdis ? Decet id vos scilicet
 8 molles voluptatis columbellos ; decet id
 9 umbras vacuas sensu, cucurbitas, gravi
 10 somno papavera plena, mortis imagines.
 11 Quin vos voluptati validis incumbite
 12 remis : cutem, ventrem, gulam, penem potius
 13 curate (rem vobis propriam) nec Litteras,
 14 nec Litteratorum labores tangite.

AD GULIELMUM SCAEVAM.
AETATIS NIMIA MULTITUDINE SE NON TARDARI, AUT VETARI,
QUIN LIBROS VERSUUM EDAT.

C_3_7 v.1 Et docti, et indocti poetae mirandas
2 possim librorum edunt strues, ut potius jam
3 sint ridiculi, et fastidio, quod in honore
4 habeantur. Id tamen vetat modo nullo,
5 quin nos etiam ludamus, ut alii, versu
6 vario. Placent si forte minus huic aetati
7 aetatis hujus scriptores, postera saecula
8 vacua invidia, quae digna erunt suis doctis
9 auribus, ea excipient peramanter, et cara,
10 jucundaque habebunt. Quisque igitur scriptis quaerat
11 nomen : licet id cuique animoso. Veniet posthac
12 posteritas imitans ingenium apum, quae flores
13 volitant per omnes seu sapidos, seu insipidos ; sed
14 tandem assident thymo, ut sapidiori flori.

IN QUENDAM SOPHISTAM, QUI SERMONEM DE RERUM CAUSIS QUAEREBAT,
UT PHILOSOPHI ET ACUTI PHYSICI, VIRI DOCTI ET ERUDITI NOMEN ASSEQUETUR.

C_3_8 v.1 Multa loquacitate, et impudentia
2 quod de igne, aqua, aereque, aethereque tum garriat,
3 tum blateret Sophista nescio quis, et
4 clamet sibi notum, sagax quicquid Parens
5 rerum creavit, miscuitque alto ordine,
6 opinionem magni alicujus ingenii
7 praebere se putat, vel insignem assequi
8 famam viri docti : sed errat Blatero.
9 Nam jam diu collectam inertis tantum habet
10 existimationem, aliaque omni caret ;
11 neque etiam honorari potest fama bona,
12 ignobili quisquis laborat, et mala.

IN QUENDAM A QUO MALE ACCEPTUS EST.

C_3_9 v.1 Non tu secus, quam ego putabam, me accepisti,
2 dum acturum ad adventum meum frontem indigne,
3 saeveque contraxisti ; nempe pro certo
4 omnes habent mecum, tibi gratiorem
5 longe esse scorti alicujus (pulchri) conspectum,
6 quam Litteratorum ; sed illa tu parte
7 nihil meam expectationem es frustratus.
8 Certe sciebam enim te ita esse. At quod semper
9 demens furis sine more, morbosque animi omnes
10 servas, quibus male audis, esque jam vulgi
11 sermo, atque fabula, hoc me habuit quidem falsum.
12 Nam, quo ferocia omnia, asperaque sensim
13 scimus domari, tempore, atque etiam aetate
14 acerbior fis ; et retines, quae debebat
15 prudens senectus demere tibi jampridem.

IN THOLOSAM.

C_3_10 v.1 Turgete nostri Iambi, et excitemini,
 2 ardentiusque, quam gener
 3 spretus Lycambem perfidum, convellite
 4 probris Tholosam Barbaram.
 5 Vos plus ocellis diligam, et vita mea.
 6 Vestro omnia indulgebitis
 7 vati, si in hoc cito mihi obsequemini.
 8 Praestate, Iambi, quod rogo.

IN THOLOSAM.

C_3_11 v.1 Si quisquam eo furore vivat percitus,
 2 vel forte sic abhorreat
 3 a sanitate mentis, ut premi omnibus
 4 malis velit, carereque
 5 optabili vitae statu, saevam advolet
 6 Tholosam, et artibus bonis
 7 se deditum fingat. Jovem optimum, dolos
 8 quos Barbari gens oppidi
 9 struet, quibus tuos, sacer Phoebe, opprimat.
 10 Pium, impium clamabit, et
 11 culpa carentem, culpa abundare asseret,
 12 insaniam ut suam expleat,
 13 ac arbitrato exerceat doctos suo.
 14 Fortuna quem plena manu
 15 bonis bearit, auxeritque copiis,
 16 convicia accusabitur
 17 fecisse Caelo, et Christianam spernere
 18 persuasionem, quo, ut reus,
 19 pendat miser poenas, et accipitribus
 20 sit praeda sane opimior.
 21 At quos opum vis deficit, vel gratia,
 22 auctoritasque apud duces
 23 tragoediae, gravi affici cernas nota,
 24 spectaculoque publico
 25 taedam manu ferre, et lacerna turpiter
 26 tegi, lacerna propria
 27 notae iis inurendae, quibus nocet scelus,
 28 pallentque mentes crimine.
 29 Ergo Tholosa Litteratis tam est parum
 30 amica, quam lupo gregi
 31 ovium, canisque leporibus, vel igni aqua,
 32 pullisve milvi implumibus.

IN THOLOSAM.

C_3_12 v.1 Quid ? Fulmenne tuum, Juppiter, aut dextera candicans,
 2 arces qua jaculare, et quatis Orbem stupidum metu,
 3 urbi parcet iniquae ? Exitiumne incuties suis
 4 dignum flagitiis ? Irane atrox, crimina qua hactenus
 5 aequae visus es urgere, resedit placido tibi ?

6 Mentem pone quietam, ac subito aether tonitru crepet,
 7 absumatque Tholosam igne voraci, et cinere obruat.
 8 Non, quos Inarimes mole tegi post tua fulmina
 9 jussisti, aequius arsere Typhoei socii truces ;
 10 nec, quos Deucalion, Pyrrhaque conspexit in aequore
 11 mersos, ob scelera immensa dederunt meritam magis
 12 poenam, quam dabit absumpta Tholosa igne sacro aetheris,
 13 aut aequata solo, mersave sub noctem Erebi cavi.

IN THOLOSAM.

C_3_13 v.1 Laude laborat omnis
 2 excoli, nomenque suum posteritatis aevo
 3 nobile fama honesta
 4 consecrare adnititur. Olim alma fuit potenti
 5 Troja manu, atque bello.
 6 Roma latis imperii finibus, arte multa
 7 ingeniosae Athenae
 8 floruerunt. Massiliae laus quoque nata quondam est
 9 integritate vitae.
 10 At Tholosae non eadem sunt studia, aut labores
 11 posteritatis auras
 12 aucupandi. Nomina qui clara aliis paravit,
 13 perpetuamque laudem,
 14 famae amor puraeque, secundaeque, velut venenum
 15 odit acerbe, et arcet ;
 16 nilque quicquam plus Getica antiquius hercle ducit
 17 asperitate morum,
 18 Palladis qua omnem sobolem jure suo fatiget ;
 19 urbs nimium sinisteris
 20 structa fatis, dignaque nullo nisi inauspicato
 21 nomine, quod nepotes
 22 vocibus diris lacerent, ac misere exsecretur.

IN DRUSACUM VULGAREM POETAM THOLOSANUM, QUI LIBRUM IN FOEMINAS SCRIPSIT.

C_3_14 v.1 Porcus furens ex lintre Epicurea,
 2 abdomini vir natus, ubi usque eo
 3 distenta sensit exta, et alvum,
 4 usui ut este sibi nequirent
 5 ad scorta, mox in femineum genus
 6 ore impudenti fervidus irruit ;
 7 genus profecto, cujus ante
 8 mancipium fuerat, cum amaret.
 9 Permite telum nunc Puer arcui,
 10 senique cano ignem injice, ut ardeat
 11 amore ; nec, quae exstinguat ignem,
 12 femina sit, nisi paenitentis.
 13 Donecque abunde laudibus efferat,
 14 quarum decus tot diminuit probris,
 15 et labe foedavit nefanda,
 16 feminea minor ipse laude.
 17 Aut si dedisse forte parum hoc modo
 18 poenam arbitraris tam nihili virum,

19 plectatur, ut qui nomen olim
 20 Tyndaridis temere elevavit.
 21 Juno simul, tuque alma Venus, dei
 22 summi quibus nil non cupide offerunt,
 23 et sponte donant, si ulla cura
 24 vos muliebris honoris urget,
 25 utrique conjunx brachia dum implicat
 26 collo, et labellis oscula suavia
 27 figit, frequenti tum rogatu
 28 numina sacra movete blandae ;
 29 ut, qui genus vestrum impetiit procax,
 30 succedat Umbris, quas domus ignea
 31 Orci tegit, saevisque poenis
 32 Eumenides cruciant cruentae ;
 33 rostrumque dirae perferat alitis,
 34 quae carpit immortale jecur Tyti ;
 35 aut Tantalii siti prematur,
 36 tormine vel graviore, si ullum est.
 37 Donec superbis laudibus efferat,
 38 quarum decus tot diminuit probris,
 39 et labe foedavit nefanda,
 40 feminea minor ipse laude.

IN DRUSACUM, NATURAE PROSOPOEIA.

C_3_15 v.1 Sat, superque jam scio,
 2 quid praebuit causam tibi, ut tam acerbis
 3 vocibus genus meum
 4 stulte lacessas, feminasque tantis
 5 obruas supra modum
 6 conviciis ; quam forte deperibas
 7 virginem, aut lupam (ut solent
 8 te illae mage oblectare, quas lupanar
 9 spurcum habet) caper tuus
 10 caper tuus fugavit evomentem,
 11 concitoque pectore,
 12 ut quos odor taeter maris repellit,
 13 vel mephite territa,
 14 putri ore quam exhalas, tibi superbe
 15 obstitit, gulamque acrem,
 16 ventremque distentum, atque pituitam
 17 nare pendulam tua
 18 objecit, et vultum rubore foedo
 19 lucidum, simul genas
 20 lippas, caputque jamdiu sepulchro
 21 proximum : hinc Tragoediae
 22 illae, hinc Tragoediae repente motae,
 23 feminae quibus decus
 24 traducis, infamasque iners poeta.

IN DRUSACUM.

C_3_16 v.1 Mirum est, sagacem in omnibus naturam eo
 2 errore lapsam, dum tibi

3 formaret ingens corpus, ut, qua oportuit
 4 parte esse guttur, podicem
 5 locaverit : nam non loqui te quispiam
 6 ore arbitretur, sed potius
 7 cacare ; ita obscaene loqui mavis quidem,
 8 quam, quo decet castum, modo ;
 9 ac aptiora culo verba fundere
 10 studes, quam honesto gutturi.

IN DRUSACUM.

C_3_17 v.1 Si tuum quisquam neget esse librum
 2 utilem, prorsus temere loquatur :
 3 nempe tergendis natibus peraptus
 4 dicitur esse.
 5 Nemo nec jurat Piperi tegendo
 6 commodum, aut Scombris, quibus Officinae
 7 par tuo servant Operi volumen
 8 uno obolo emptum.

IN DRUSACUM, QUOD UXORI NUNTIUM REMISERIT.

C_3_18 v.1 De te improbe loquuntur, et recte parum,
 2 qui non satis probabili
 3 causa remissum nuntium a te praedicant
 4 uxori : erat, cur nuntium
 5 posses remittere, et jugali expellere
 6 toro ; nam honestis moribus,
 7 et castitate nobili, nullo queas
 8 haerere pacto feminae
 9 emersus ex lustris luparum ganeo.
 10 Quare lupam domi foves,
 11 foedissimumque scortum, ut haereas pari,
 12 uxore casta posthabita.

IN DRUSACUM.

C_3_19 v.1 Sed quid Camenam defatigo abs re meam,
 2 dum tot te Iambis obruo ?
 3 Dicam semel, quod sentio de te, et brevi :
 4 tanto quidem es scelestior,
 5 et taetrius taetris, scelestisque omnibus,
 6 quanto est Polus Terra altior.

AMICI, AD STEPHANUM DOLETUM IN DRUSACUM.

C_3_20 v.1 Tergendis natibus tuum libellum
 2 aptum dixerat optimus poeta,
 3 blanditus tibi, credo, tunc poeta.
 4 Nam nullus natibus suis, Drusace,
 5 dignum iudicat hunc tuum libellum
 6 insulsum, lacerum, asperum, protervum,

7 incultum, rigidum, parum pudicum,
 8 et duris salebris ineptiorem,
 9 atque ipsis natibus magis lutosum :
 10 quare tergere podicem volentem,
 11 cartas ut fugiat tuas, monemus,
 12 ni vult surgere foediore culo.

IN TOPINATIUM VIRUM MALEDICUM.

C_3_21 v.1 Non, quod non graviter mihi
 2 commoris stomachum, versibus asperis
 3 constans abstineo modo.
 4 Sed quod tam nihili es, tamque parum potens,
 5 idem ut sit tuus impetus,
 6 ac morsus culicis, fusa Lycambeo
 7 conatu mea Carmina
 8 compesco, tibi ne obsistere censear
 9 imbelli validus nimis.
 10 Robustus si elephas, vel leo debilem
 11 vulpem viribus opprimat ;
 12 vel si pumilium frangat Achillea
 13 dextra, aut Hectoreae manus,
 14 quae laus excipiet tam leve proelium ?
 15 Victori ecquod erit decus ?
 16 Quare, ignave canis, perpetuo latra.
 17 Cornu non prius horridum
 18 tollam in te, mihi quam morsibus excites
 19 bilem, qua tumeat jecur.
 20 Non latratus aprum, nec strepitus movet,
 21 quantumcumque crepet nemus,
 22 stantem vulnificus dens nisi laeserit.
 23 Quod si vim placido afferas,
 24 instabit rabidus, qui modo conticet.

IN DAMPMARTIN JUDICEM THOLOSANUM.

C_3_22 v.1 Nullum me scelus in vincula conjici
 2 poscebat, neque per compita turpiter
 3 duci, ut qui impius ense
 4 patris fuderit ilia.
 5 Vel qui diri aliquid criminis improbus
 6 admisit, veluti qui patrios lares,
 7 auro sollicitante,
 8 furtim prodidit hostibus.
 9 Nullum tale scelus carcere me tegi
 10 jussit sed (tua quae est barbara mens) viam
 11 omnem exquiris, ut angas
 12 prolem nobilem Apollinis.
 13 Mors te comminuat ridiculum caput ;
 14 insani rabiem pectoris abjice,
 15 gnatae disce tuae ausus,
 16 et mentem placidam sequi ;
 17 qua moechos vocat, atque excipit, et suum
 18 corpus prostituit prostibulum elegans :

19 "Quia, inquam, prostituit se
20 moechis, rem Veneri sacram.
21 Quin tu jam potius furcifer eneca,
22 uxor quos tua, dum nox silet undique,
23 et stertis mero abundans,
24 perfert, ac satiat procos."

IN PETRUM PINACHIUM VASCONEM.

C_3_23 v.1 Cucurbitarium caput, stipes rudis,
2 tam plenus insolentiae,
3 quam nullius doctrinae homo, Pinachius,
4 illam sibi primum viam
5 ad nomen aeternum, decusque fecerat,
6 vi impudenter de artibus
7 quibuslibet ferret suam sententiam,
8 ceu quondam Athenis Gorgias.
9 Si forte quisquam verba de eloquentia
10 fecisset, hic se rhetorem
11 jactabat, et tenere dicendi modos
12 omnes, perinde ac unguium
13 numerum. Quid hic quaeris ? Stupendo gloriae
14 studio perustus, sedulo
15 famam aucupabatur, quibuscumque hercule
16 locis licebat. Ast ubi
17 nec de eloquentia loqui docte potuit,
18 nec de arte quapiam bene,
19 sententiam mutavit ; et, cum illi decus,
20 virique docti laus parum
21 successit ex voto, procacis nomine
22 famam perennem quaesiit
23 tandem sibi, illustrarierque adnexus est
24 utcumque turpitudine.

IN EUNDEM PINACHIUM.

C_3_24 v.1 Vulgus ridiculum, atque iners
2 primas nescio cui grammatico viro
3 dat, Demostheni ut alteri ;
4 ipsum illum in manibus sic habet, et fovet,
5 sic amplectitur, et colit,
6 ad Demosthenis ut fulmina proxime
7 adspirasse putent levi
8 multi iudicio. At non mediocriter
9 vulgus labitur : hunc quidem
10 doctus nemo putat vel bene noscere
11 vim Demosthenis, et Patris
12 nomen tam egregii ; fulmina tantum abest
13 ut Demosthenis assequi,
14 dicendive modum reddere gnaviter
15 possit rustica bellua.
16 Quod si accesserit ex parte aliqua ad Senem
17 nullis sat celebrem modis,
18 sane accedit eo nomine, quod vigil

19 tam ipse est, quam Pater ille erat ;
 20 et quod noctu oleo non minus utitur.
 21 Unum illud tamen interest
 22 horum inter studium, falsaque lumina
 23 somno, grato oculis Deo,
 24 quod tantis olei sumptibus alteri
 25 mirandum eloquii genus
 26 quaesitum est, modo quo nobilis, et nitens
 27 haeret sideribus Jovis.
 28 Insomnes alius conterit alea
 29 noctes, et venere, et gula.
 30 Lucerna utitur ad putide olentia
 31 scortilla, et ganeae lupas
 32 spectandas propius : talis eum labor
 33 exercet. Vigil hinc vigil
 34 passim fertur, et ad rhetoris optimi
 35 laudem accedere dicitur,
 36 laudem, crede mihi, haud omnibus obviam.

IN MAURUM THOLOSANUM LUDI MAGISTRUM.

C_3_25 v.1 Colore Maure, moribusque, falleris,
 2 si rem tibi putas fore
 3 fortasse eandem cum Doletto, quae est tibi,
 4 fuitque jampridem, et diu
 5 cum foetidis natibus puerorum, quas tu iners
 6 magister, et plagosior.
 7 Duro Orbilio, tuo arbitrato verberas
 8 seu paedicatori similis,
 9 sive Orbilii asperitatem imitans, ut durus es.
 10 Eae siquidem quod continent
 11 flatus maleolentis, et mephitis putidae,
 12 si quando naribus tuis
 13 (fere ut fit) exhalent, crepentque immanius
 14 culi cavernae squalidae,
 15 nil, aut parum nares tuas laedunt, satis
 16 per se polypis, odoreque
 17 plenas gravi, quo quemque vel caecum fuges,
 18 ita undique ipse es putidus.
 19 Sed si Doletum (cui minaris impotens
 20 culex) inani quopiam
 21 sermone cogas in te iambos fervidos
 22 armare, vae tibi natium,
 23 tibi vae juvenilium natium flagellum atrox,
 24 tibi vae flagellum atrox natium,

AD JOHANNEM BERTRANDUM PRAESIDEM PRIMARIUM SENATUS THOLOSANI.

C_3_26 v.1 Prospexere alias saepe Gallorum rebus
 2 Superi ; sed illi tum haud parum, cum te regno
 3 tanto voluere praeesse, quod tam evigilatis,
 4 exactisque regas consiliis, seu bellorum
 5 instent tumultus, sive teneamus pacem.
 6 Rem coeptam avibus bonis, eandem urge ex voto,

7 et gloriam tibi debitam, aeternum serva.

AD MUSAS :

QUO CARMINE USUS EST THOLOSÆ IN PUBLICO LITTERARIO CERTAMINE,
CUM ILLIC VERSU CONTENDERET.

C_3_27 v.1 Musa, sacra cohors, cohors beata,
2 caelorum altitonantium alma proles,
3 quae doctos niveo sinu fovetis,
4 per quas arte coli licet, quibusque
5 invitis nihil assequatur ullus,
6 huc conferte pedem sacrae Sorores :
7 Musae, sacra cohors, cohors beata,
8 optanti mihi ferte opem rogatae.
9 Non vos jam pigeat virentis Hemi
10 saltus, aut Aganippidi amnis undas,
11 rupisve Aoniae specus latentes
12 nostra linquere flagitatione.
13 Vestri me comitem juvate coetus,
14 vestrae me socium artis adjuvate,
15 et cinctum bene laureis corollis,
16 fontis Castalii irrigate lymphis ;
17 ut, qua pulcher Apollo voce cantat,
18 et qua concinitis deo canenti,
19 dum per tempora flava crine sparso,
20 spectato ordine ducitis choreas,
21 hic nunc carmina non inepta fundam,
22 Andino eloquio elegantiora,
23 Catullique jocis venustiora.
24 O, si subsidio redibo vestro
25 auctus plus reliquis honore victor,
26 o quam, Juppiter, efferam dearum
27 nomen Pieridum, decusque Phoebi.
28 Pape, quam celebrabo diligenter
29 Parnasi memoranda festa montis.
30 Huc conferte pedem sacrae Sorores,
31 Musae, vestra labella mollicella,
32 roris plena, tenella, delicata,
33 nostris horridulis modo admovete,
34 vestra ut quo linit ora melle Pytho,
35 fauces aridulas meas eodem
36 humectet dea nobilis liquore.
37 Quod si haec vota minus pudica quisquam
38 morosus putat, atque forte ocellos
39 vestros hispida barba nostra terret,
40 nec vos oris odor juvat virilis,
41 adspirate tamen sacrae Sorores,
42 adspirate animo novi poetae,
43 et vestrum mihi pellat exta numen ;
44 quod metam faciet cito disertum,
45 quam sum ipse ingenio rudi, atque agresti.

AD PHOEBI OPEM IMPLORANDAM : QUO USUS EST IN EODEM CERTAMINE.

C_3_28 v.1 Me quoniam duci libuit per culmina sacri
 2 montis, et indulgentem arti se turba Aganippes
 3 praebuit ipsa meae, licuitque favente Minerva
 4 semper inexhausto quidvis deducere versu,
 5 nuncne mihi, nunc Phoebe mihi, nunc Phoebe vetabis
 6 numen adesse tuum ? Aonio cui labra liquore,
 7 tempora cui lauro, lauro cui tempora laetus
 8 jussisti spargi, dura sub molle jacentem,
 9 nunc (cum res agitur famae) ridebis alumnum ?
 10 Te dictante, puer, quicquid jam nostra movebit
 11 Musa, olim excepi : vatem quem vatibus optas
 12 adjunctum, jam, Phoebe, juva, jam viribus auge.
 13 Quod quondam tentabat opus vel robore dextro,
 14 vel cursu, cum alti ludos sequeretur Olympi,
 15 nobilis Alcides, sociorum ut frangeret ausus,
 16 et fama caelum quateret, terramque, fretumque,
 17 id nos praesidio Divum conamur alacres
 18 cominus arte sequi ; classem sic solvere nauta
 19 de portu properat regis praesente tridente,
 20 insanum quamvis tumeat mare, magnaue fluctus
 21 murmura dent, alte rapti stridentibus Austris.
 22 Sic dux, Gradivi auxilio, majoribus obstat
 23 saepe minor, monituque Dei securus ad arma
 24 fertur, et exuviis victor redit ille superbus.
 25 Scilicet ex voto Phoebus si carminis orsum
 26 sponte mihi fundat, facili certamine palmam
 27 num referam ? Ingeniique mei conamine victa
 28 docta cohors juvenum sperata laude triumphum
 29 num me exornatum Aonia spectabit in arce ?
 30 Adsint tantum animo, nostris conatibus adsint
 31 diique, deaque omnes, quorum sub nomine regnat
 32 doctorum decus, atque illustris gloria vatum :
 33 gutture me pleno victorem praeco crepabit.

DE LAUDIBUS JUDICUM CERTAMINIS.

C_3_29 v.1 Annua solemni redeunt spectacula pugnae,
 2 miscerique suos Pallas ab arce jubet.
 3 Non tuba terribili sonitu, non classica rauca,
 4 non quemquam ad bellum Mars truculentus agit.
 5 Clamat io Pallas, magnoque haec intonat ore,
 6 huc, precor, huc, vates docti, inhibete ratem.
 7 Vocibus his Phoebus fauces exercet anhelas,
 8 vocibus his doctos turba novena vocat ;
 9 huc omnes huc ferte gradum, quos fovimus ante.
 10 Queisque datum est, sacro tingere labra lacu.
 11 Ludite securi, quorum non carmina livor,
 12 nec rabido frendens Zoilus ore petet.
 13 Ludite, quos, praeter laudem, nomenque superbum,
 14 non vilis merces, dona sed ampla manent.
 15 Ludite iudicibus tetrica gravitate probandi,
 16 iudicii exacti ludite digna Choro.
 17 Vatibus immensum est calcar, non iudice surdo,

18 aure nec agresti fundere voce modos.
 19 Acrius insurgit validus luctator in hostem,
 20 quem spectatorum lumina multa notant.
 21 Gaudet equus cursu, cursum mirante magistro,
 22 exsultansque levi fertur in astra pede.
 23 Ad ducis aspectum miles commotior arma
 24 arma capit multis saepe futura neci.
 25 Nescio quos stimulos nostris conatibus addit
 26 censoris virtus lance probanda gravis.
 27 Ergo agedum, quicquid docuit vos artis Apollo,
 28 audiat haec gravibus cincta corona viris.
 29 Quas Veneri quondam Paridis sententia primas
 30 detulit, hoc coetu docta Minerva tenet.
 31 Non Junove, Venusve genas bene culta, sinumque,
 32 auferet hinc fuco laurea sarta fuo.
 33 Hic sola hic regnat Pallas, virtusque decora ;
 34 vatibus haec tantum laudis aperta via est.
 35 Huc, quos tangit honor, quos gloria tangit, adeste :
 36 vatibus haec tantum laudis aperta via est.

DE MULIERE QUADAM, QUAE LUDOS LITTERARIOS THOLOSAE CONSTITUIT.

C_3_30 v.1 Quod muliebre mihi nomen, quod vultus, et ora
 2 femineum plane referunt genus ;
 3 quod muliebri animo virtutis cura negetur,
 4 cultaque conveniat facies magis.
 5 Quid tum ? Virtutisne mihi illecebrosa voluptas
 6 praeripuit studium studio sui ?
 7 Plusne mihi, mihi plusne sinus, plus candida forma,
 8 quam bene culti animi placuit nitor ?
 9 Non ita : displicuit comptus nimia arte capillus,
 10 displicuit roseus rubor in genis ;
 11 labra nec infecere mihi conchylia, fuco
 12 displicuere madentia tempora.
 13 Non placuit collo pendere monilia, pectus
 14 gemma nec excoluit patulum mihi.
 15 Et segmentatae vestes, et hiantina, et ostrum
 16 carius haud virtute mihi fuit.
 17 Divitiae jacuere mihi, virtusque probata est :
 18 prae literis jacuere mihi omnia.
 19 Prae literis jacuere mihi materque, puerque,
 20 mater Amoris, et Idalius puer.
 21 Te solum, solum te, Helicon, doctasque puellas
 22 collibuit generoso animo sequi.
 23 Nec tantum Aonias colimus, dum vescimur aura,
 24 perpetuo monimenta rei manens,
 25 Ecce suus Musis honor est solemnus, et olim
 26 non minor his erit aut honor, aut decus.
 27 Aeternum ingeniis posui certamen, alumni
 28 carmina quaeque sui ut celebret dea ;
 29 utque theatrali ludo tua gloria, Phoebe,
 30 sideribus magis ac magis haereat.
 31 Et me nunc animo clamet caruisse virili
 32 invidus invidiae face percitus.

AD PUELLAS THOLOSAE : QUOD IN EODEM CERTAMINE RECITATUM EST.

C_3_31 v.1 Sat vos, jam sat hiems, satque, superque acris hiems domi
 2 tristes detinuit : segnitiam expellite virgines.
 3 Nunc expellite curas, maciem quae ingenerant genis,
 4 et taetro ora colone inficiunt, membraque turpiter
 5 foedant : vos sat hiems satque, superque acris hiems domi
 6 tristes detinuit ; segnitiam expellite virgines.
 7 Nunc, cum parturiunt vere novo agri, omnis et arboris
 8 frondes dum foliis luxuriant, ac viridi coma,
 9 ornatae bene vultumque, sinumque, abjicite otium,
 10 et gressu celeri ad rura volate obsita floribus ;
 11 nam, quae vos dea Diana tuetur sinus integri,
 12 non abstrusa latet sub salebrosis specubus modo ;
 13 jamdudum caput eduxit in auras placido Jove,
 14 per sylvas vaga sternit jaculis fulmineos apros ;
 15 festas ordine pulchro choreas cum strepitantibus
 16 ducit virginibus, quas ubi sudor nimius rigat,
 17 immensaque siti guttur hiat, non gelidi procul
 18 sunt fontes, quibus exstincta sitis labra minus coquat,
 19 et lymphis liceat proluere artustepidos adhuc.
 20 Tum stratae viridis tegmine sub fagi, avium omnium
 21 cantus dulcisonos auribus acri studio hauriunt,
 22 et, quo luget Itim mater amoeno strepitu, notant,
 23 decertant(que) canentes, ut Olympus modulis tonet.
 24 Thyrsis tempora cingunt, hederæserta levi manu
 25 intexunt hyacintho vario, et purpureis rosis.
 26 Nec vos tanta movent, ut libeat ruri agere, et chorum
 27 Dianæcomitari, hæmodo quem deliciae juvant ?
 28 Indulgete jocos, vitam hilarem ducite, dum licet,
 29 fertque aetas, et ad id vos vocat anni facies nova.

AD AEGIDIUM JORDANUM. LUTETIAE PARISIORUM LAUDES.

C_3_32 v.1 Diva, quae turmam gubernas virginum Libethridum,
 2 tuque dux collis virentis semper, o vatium Pater,
 3 sume age argutam chelim, atque a sede Parnassi huc pedem
 4 confer, et chordis novos cantus move, et carmen novum ;
 5 oppido huic assurge, quod turres superbae muniunt,
 6 amne quod pulchro Sequana undosa praeterlabitur,
 7 et quod ingens ambitus muro tuetur triplici ;
 8 ver quod aeternum, serenique aura caeli temperat,
 9 ac diei auctor fovet Titan amico sidere.
 10 Non sua huic urbi Lyaeus, non Cybelle munera,
 11 non Napaeae floridos campos negarunt, nec comas
 12 arborum, quae vim caloris sublevent, dum fervidus
 13 sol magis candet, sitique agri dehiscunt aridi.
 14 Huic simul, quae fontibus praesunt, puellae Naiades
 15 fontium huic urbi dederunt non lutosos alveos.
 16 Hanc sibi Musae domum olim vindicarunt, artium
 17 nobilem cultu, bonique, aequique servantissimam,
 18 atque eo illustrem senatu, qui Catonum moribus
 19 taetricis non cedat, aut cuivis severo judici.
 20 Plura quid dicam ? Quibus floret viris non barbara,

21 aut agresti mente, sed quos ipsa Pallas sub specu
 22 Aonis fovit velut caros alumnos molliter ?
 23 Heu, quam Athenae cesserint fama libenter, si decus
 24 hujus urbis sentiant astris poli addi ; quam libens
 25 Roma cedet nomine excelso, et vetusta gloria,
 26 si fretum, terramque laude hujus crepare exaudiat.

AD MUSAM : QUOD LUSUM EST SECUNDA CERTAMINIS DIE.

C_3_33 v.1 Te quaecumque mihi comitem
 2 adjungi cupiisti,
 3 Musa, incocepto operi adspira.
 4 Nobis paene voratum
 5 jam medium est iter : eia age,
 6 vires collige fessas,
 7 actutumque mihi fer opem,
 8 nunc fer, Musa, opem anhelō.
 9 Non procul hinc metam premere est ;
 10 quo nos tandem aliquando
 11 progressos, quanto excipiet
 12 pulcher Phoebus honore ?
 13 Nauta reus voti numquam
 14 votum tam studiose
 15 solvit ad aras Neptuni,
 16 salvus dum rate salva
 17 appulit optatis oris,
 18 quam flores tibi spargam,
 19 cantaboque tuas laudes
 20 dulci carminis orsu,
 21 si, quo coepisti, studio
 22 adsis nunc quoque nobis.
 23 O, cui perpetuo Charites
 24 mulcent pectus, et ora,
 25 o, mea Musa tuum, quaeso,
 26 nunc ne desere vatem.
 27 Quod nostri reliquum est operis,
 28 constanter peragamus.
 29 Ne vivam, nisi quo est gravior
 30 hujus cura laboris,
 31 gratior hoc erit hinc parta
 32 nobis gloria posthac.
 33 Non tum, quae modo nos urunt,
 34 insomnesque fatigant
 35 curae, animo obversabuntur.
 36 Cinget tempora laurus :
 37 nostrum nomen in astra ferent
 38 celsis cantibus omnes.
 39 Tum meminisse quidem cura
 40 falsas juverit horas,
 41 laude ut tanta efferamur,
 42 aeternoque triumpho.

AD SALMONIUM MACRINUM. DE LAUDIBUS VIRGINIS MARIAE.

C_3_34 v.1 Mene Parnassi moderator alme,
 2 me tuum linques modo, Phoebe, vatem,
 3 dum decus caeli Mariam sacratis
 4 laudibus orno ?
 5 Mene, quas vernans Heliconis umbra
 6 solis a vultu calido tuetur,
 7 mene rideri libet, o Sorores,
 8 magna secutum ?
 9 Jam satis vestro auxilio poetae
 10 Martis horrendos cecinere motus ;
 11 jam satis scripsere jocos Diones
 12 carmine molli.
 13 Nunc juvet paulo graviora vestris
 14 cantibus dici : juvet ad canoram
 15 barbiton laudes Mariae, decusque
 16 jungere Caelo.
 17 Quae tuos Titan prior horret ortus,
 18 quaeque te ponto tegit occidentem
 19 terra, certatim Mariae verendum
 20 numen adorat.
 21 Qui plagam Rheni colit, aut Iberum,
 22 quos rigat Maeotidos unda ripae,
 23 hujus agnoscunt, celebrantque nomen
 24 poplite flexo.
 25 Hujus ad nutum micat omne sidus,
 26 hujus ad nutum tumidae procellae,
 27 et mare insanum silet, atque dira
 28 murmura ponit.
 29 Haec Dei gnatum peperit ; salutis
 30 haec Ducem nostrae tulit alma Virgo ;
 31 haec ab Inferni tenebris ad auras
 32 extulit omnes.
 33 Quid ? Quod haec in nos Superum furorem,
 34 et minas Caeli altitonantis arcet,
 35 rebus ut nostris mala nulla spirent
 36 numina laesa ?
 37 Ergo selectos per aprica rura
 38 colligat florum cumulos juventus ;
 39 colligat flores hyacinthi, et aras
 40 Virginis ornet.
 41 Lillii thyrsis niveis ligustra
 42 implicet, texatque amarantho amomum,
 43 quaeque vim afflatus referunt Sabaei,
 44 gramina carpat.
 45 Ac ubi multo sacra Templa flore
 46 sparsa spirabunt varios odores,
 47 Virginis tali prece quisque pro se
 48 vellicet aurem.
 49 O piis votis via laeta, spesque ;
 50 o reis certum miseris levamen ;
 51 o quies praesens, statioque fessis
 52 tuta carinis.
 53 Per tui fetus uteri pudici,
 54 per tuae nomen Sobolis beatae,

55 per sinus, e queis Deus ipse quondam
 56 lac bibit infans.
 57 Per tuum nomen, Dea summa, per te
 58 Virgo, quae nostros studiosa questus,
 59 et preces audis, per amoena Tempe,
 60 quae pede calcas ;
 61 huc ades, Regina Poli, secundo
 62 huc ades gressu, populique vota
 63 vota clamantis, pia Virgo, laeto
 64 suscipe vultu.
 65 Sit procul bellum, procul hinc aberret
 66 pestis, et flavam Cererem Lyaeus
 67 vincere ubertate velit, cadosque
 68 impleat uvis.
 69 Plura quid ? Stamen fera dum secabit
 70 Atropos, celsi pateant Olympi
 71 tum fores nobis, referetque magnam
 72 claviger Aulam.

AD EUNDEM. DE LAUDIBUS EJUSDEM.

C_3_35 v.1 Quantum laudis abest vatibus optimis,
 2 rem si forte levem carmine pessimo
 3 enarrent, nec opus plebeium, et leve
 4 possint viribus assequi ?
 5 Contra, quam minimum dedecus obterit
 6 laudem perpetuam vatis, ad ardua
 7 qui aggressus labat, et robore debili
 8 molem ferre nequit gravem ?
 9 Nemo Vergilii, dum Priami canit
 10 casus, non facile dissimulet deam
 11 Clion saepe locis pluribus opprimi,
 12 victam quandoque cedere.
 13 Nemo magni etiam carmen Homeri amet,
 14 mireturve minus, si, dum ab eo Ilias
 15 cantatur, grave quicquam exsuperet modos
 16 vatis principis omnium.
 17 Et quisquam dubitet parcere risui,
 18 si, dum Christiparae Virginis effero
 19 laudes, carmina me nulla satis juvent,
 20 atque impar oneri cadam ?
 21 Illa est, illa, Poli quae imperium tenet ;
 22 illa est, quam haud celebris Pallas, Apollone,
 23 quam non ipse Helicon cum Aonidum choro
 24 dignis cantibus efferat.

AD MUSAM : QUOD CARMEN ULTIMUM FUIT RECITATUM IN CERTAMINE.

C_3_36 v.1 Jam, mea Musa, satis
 2 factum sit : ad sanctos Specus
 3 ique, referque pedem,
 4 et nuntia Muis, suum
 5 carmine me vario
 6 lusisse vatem ; sed, quae erunt

7 praemia, si cupiant
 8 audire, responde, ut fuit
 9 auribus eximiis,
 10 et iudice auditus gravi,
 11 praemia jam referet.
 12 Sed forte si surdis data est
 13 a me opera, et cecini
 14 modo auribus duris, putent
 15 atque operam, atque oleum
 16 hic perditum omnino mihi.
 17 Quis siquidem moveat
 18 doctis carentes auribus ?
 19 Quod tibi sit reliquum,
 20 verbis salutem dic meis
 21 Palladi, et Aoniae
 22 turbae Sororibus novem ;
 23 scilicet ut faciant
 24 votum vicissim omnes, ut hic
 25 munera si capiam
 26 optata, numquam mihi minus
 27 sors cadat ex animo.
 28 Sed, quod voravi spe decus,
 29 si mihi non liceat
 30 hinc nunc referre, quandoque
 31 dent meliora Dei,
 32 et lenius flet sors bona.

CARMINUM LIBER QUARTUS.

AD SEBAST. GRYPHIUM.
 DE OBITU CHRISTOPHORI LONGOLII.

C_4_1 v.1 Longolii o utinam potuisset lingua docta tantum
 2 apud rapacem Mortem, acresque Parcas,
 3 quantum olim valuit dicendo, voce dum diserta
 4 Romae catervas flecteret stupentes ;
 5 viveret incolumis, nec funere concidisset atro,
 6 dignus perenni temporum recursu.
 7 Sed vivit, neque morte ulla exstinguetur, arce tectus
 8 famae micantis, nominisque magni.
 9 Aere perennius exegit monimentum, ad astra late
 10 laus cujus ingens, et loquax volavit ;
 11 quod non annorum series, nec flatus impotentis
 12 austri, nec imbres diruent edaces.
 13 Sidera dum caelo haerebunt, ac Ursa obibit axem,

14 cursuque tardo per Polum meabit ;
 15 Longolio Hesperii, quique ortum Solis intuentur,
 16 omnes vicissim gloriam vovebunt.
 17 Hinc igitur procul, hinc procul absint neniae sepulchri,
 18 luctusque turpes, quos anus refundunt.

AD SYMONEM VILLANOVANUM DEFUNCTUM.

C_4_2 v.1 O mihi quem probitas, quem vitae candor amicum
 2 fecerat ! O stabili foedere juncte mihi !
 3 O mihi quem dederat dulcis Fortuna sodalem !
 4 O mihi crudeli Morte perempte comes !
 5 Jamne sopor te aeternus habet, tenebraeque profundae,
 6 tecum ut nunc frustra carmine maestus agam ?
 7 Quod nos cogit amor, surdo tibi forte canemus,
 8 sed nimii officii non pudet esse reum.
 9 Care, vale, quem plus oculis dileximus unum,
 10 et jubet, ut mage te semper amemus, amor.
 11 Tranquillae tibi sint noctes, somnusque quietus ;
 12 perpetuoque sile, perpetuoque vale.
 13 Et, si umbris quicquam est sensus, ne sperne rogantem :
 14 dilige, perpetuo cui quoque carus eris.

DE EODEM.

C_4_3 v.1 Quousque tandem expleris atroces minas,
 2 dirumque plus satis tuum
 3 in nos furorem sors supra modum fera ?
 4 Furorne adhuc deferbuit ?
 5 Num jam quiescit bilis immanis tibi,
 6 dum res quatis mortalium,
 7 utcumque vis, durisque versas casibus ?
 8 Quod quisque perfert fortiter ;
 9 nam scimus auferri tuas nobis opes.
 10 Sed quis ferat, quem non dare
 11 potes fidelem amicum, eumque ipsum intimum,
 12 Tuo eripi jussu, et nece
 13 nimis cita ex amplexu amici jam abstrahi ?
 14 Erant, quibus junctis minus,
 15 amantibusque non ita admodum probe
 16 infligere id damni gravis
 17 posces : sed ipsum me tibi visum est mali
 18 tanti ferire injuria,
 19 a meque subduxti virum, quem me magis
 20 amabam, amore non levi
 21 ad diligendum adductus, idque mutuo.
 22 Sic me premis Monstrum ferox ?

EIUSDEM EPITAPHIUM.

C_4_4 v.1 Cumulate dederant omnia nato
 2 Genitrix rerum, hominumque ipse Parens, et,
 3 animos quae eximie moribus ornat, pulchra Virtus,

4 modo qui praepropera morte diem obivit,
 5 rapidis usque adeo annis adolescens
 6 merito jure quidem funere non abripiendus.

AD MERLINUM SANGELASIIUM.

C_4_5 v.1 Ullone tempore decentius
 2 radiis suis Sol aureus imminutus est,
 3 cessitque tenebris tristibus,
 4 quam quo Orbis exstincta interierunt lumina ?
 5 Caelique, Terraeque hoc modo
 6 praestantiora corpora testantur suos
 7 casus, vicissim alia aliis
 8 luctus speciem praebentia ; nec magni Poli
 9 ignes sine maestitia ferunt,
 10 Terrae opprimi ignes. Lumina sic luminibus favent.

DE EODEM.

C_4_6 v.1 Nullo politam Galliam cultu artium
 2 tandem miseratus Rex hominum, et divum Pater,
 3 nasci Fabrum jussit ; Fabrum sed eum quidem,
 4 nulli secundus qui esset arte, vel ingenio.
 5 Quia natus est causa, affabre ipse Galliam
 6 cultu artium omnium expolivit ; tum officio
 7 functus, rediit, quo omnes redeunt Caelo sati.
 8 Tanti interitum viri quid aegre fers potius,
 9 quam gratulare mortuo aeternum decus ?

AD POETAS GALLICOS

DE OBITU, ET NOMINE FRANCISCI VALESII GALLIAE DELPHINI CELEBRANDO.

C_4_7 v.1 Carmine quid vestro gravius, quid carmine vestro
 2 nobilius, quam heroum ornetis nomina ? Sed quis
 3 nomine, vel fama vivaci dignior heros,
 4 quam qui (pro nimis ante diem) modo funere acerbo
 5 praereptus, rediit sublimia ad astra Tonantis ?
 6 Unde (datus Regi Francisco filius) imas
 7 venerat in terras, caeli certissima proles,
 8 omnibus ornatus dignis virtutibus ortu
 9 caelesti, et prima spirans aetate verendum
 10 Divorum genus, ac verum Jovis incrementum.
 11 At Caelum ante diem repetivit ; et ante, potentes
 12 quam regeret Gallos aequis sub legibus : orbi
 13 spe solum ostensa, qualis, quantusque fuisset,
 14 non largitus, quae speres a Numine tanto.
 15 Quid facias ? Mors id vetuit, Gallisque sinistra
 16 fata ; nec ad laetos voluere adolescere fructus
 17 speratum, optatumque Maris, Terraeque monarcham,
 18 tandem aliquando Hispanis cristis jura daturum.
 19 Sed minus hanc ob rem vestris, nostrisque micabit
 20 carminibus ? Quin jure habeat praeconia justa
 21 promissi tam celsi animi, imperiique futuri.

22 Scribite, quam Romanae gentes, quam quoque Graiae,
 23 quam Siculae, Illyricaeque orae, quam denique vastus
 24 orbis spem amisit Rectoris, morte nefanda
 25 cum occidit Imperii optati spes unica terris.

EIUSDEM.

C_4_8 v.1 Orbis vivendi causa in orbem veneram,
 2 sed continuo terrestrium affectus gravi
 3 fastidio, nec nactus, aut sperans, postea
 4 quod me gererem dignum, Caeli Indigetes cupide
 5 Caeli Indiges revisi : et ago nunc cum paribus.

IN VENETIFICUM ITALUM, QUI VENENO DELPHINI EXTINXIT.

C_4_9 v.1 Noras venenum, sed veneni ignorabas
 2 usum quidem rectum : venenosis nempe
 3 est pestibus dandum venenum (ut tu prorsus
 4 pestis venenosae fuisti ingens pixis)
 5 non innocenti corpori, Regis proli
 6 sacrae. Ergo utinam nosses veneni usum rectum,
 7 et sustulisses e medio te mature,
 8 pestem venenis omnibus dignam, et furcis.
 9 Luceret in terris adhuc terrae lumen
 10 tuo veneno praepropere exstinctum ; et corvos
 11 tu jamdiu, muscasque pavisses putris.

MAGDALENAE VALESIAE

FRANCISCI VALESII REGIS GALLI FILIAE, ET REGIS SCOTIAE CONJUGIS
 EPITAPHIUM.

C_4_10 v.1 Vere est vicissitudo rerum, et mala bonis
 2 attexta. Rege nata patre,
 3 regisque conjunx, nec patris diu gloriam
 4 suspexi ; et in usum tam brevem
 5 successit optatus maritus rex mihi.
 6 Sic non dupliciter jure querar ?

REGIS NAVARRAE EPITAPHIUM.

C_4_11 v.1 Mortalium vanas res, atque inanem spem.
 2 cui, quicquid uni alicui a Superis conferri
 3 potest, datum erat (seu corporis venustate,
 4 sive ingenii praestantia laudem quaeras ;
 5 seu divitiis, et sortis omnibus donis)
 6 excessit e vita, in vitam vix ingressus.
 7 Tu non merito clames, querarisque graviter,
 8 mortalium vanas res, atque inanem spem ?

DE EODEM PERDITA VALETUDINE LEVATO.

C_4_12 v.1 Jam Mors suum putabat, et in faucibus
 2 habebat, actutum Superi
 3 quem restituere pristinae valetudini,
 4 hominum miserati incommoda,
 5 quae Regis occasu usque adeo cumulati omnibus
 6 virtutibus, Terrae haud dubie
 7 impendere videbantur. Hic tu convicium
 8 morti facito invidae ; et Superis
 9 amantibus, gens Galla, tui grates age.
 10 Id postulat, Galli, ratio.

REGINAE UTOPIAE FALSO ADULTERII CRIMINE DAMNATAE, ET CAPITE MULCTATAE
 EPITAPHIUM.

C_4_13 v.1 Quid ? quod tyrannus crimine falso damnatam
 2 me jussit occidi, minus me jam laudas ?
 3 Necnon velut turpi maledicta suffundis ?
 4 Nulla nota turpis sum ob acceptum vulnus :
 5 nimirum honesta turpitude est, sine culpa
 6 mori, et innocentem cedere aliquando Fatis.

CHRISOGONI HAMMONII EPITAPHIUM.

C_4_14 v.1 Jaceo tyranni jussu acerbe interfectus.
 2 At cui accidat mirum, tyranno virtutem
 3 virilem odio fuisse, cui muliebri haedo
 4 humanitas muliebris ad extremum invisita
 5 adeo fuit, ut, quam efflictim amaverat primum,
 6 tandem interim imperarit ex haedo tigris
 7 factus subito ? Potuit viriles odisse
 8 animos, muliebris qui est mulierem insectatus.

JOHANNIS PINI EPITAPHIUM.

C_4_15 v.1 Heu nuntium verum accipite, Musae ; at malum.
 2 Excessit e vivis alumnus vester, decus
 3 vestrum, decus Pinus quidem vestrum ; sine
 4 dubitatione Pinus haud minus artium
 5 laude, eloquentiaque magnus, quam pia,
 6 et integra, castaque vita laudabilis.
 7 At nemini parcat nimis avarus Acheron.

JACOBI MINUTII PRAESIDIS THOLOSANI PRIMARII EPITAPHIUM.

C_4_16 v.1 Vivus satis diu innocentibus et sontibus
 2 ego jura dixi. Quae domus Plutoniae
 3 umbris Rhadamantus jura dicat noscere
 4 tandem libuit. Tu, si libet, eo me sequere.

CUJUSDAM VITIIS OMNIBUS CUMULATISSIMI EPITAPHIUM.

C_4_17 v.1 Hic quid reconditum est, rogas ? Vitium omne, et scelus,
 2 quod quod gulae, veneri, aleaeque deditus,
 3 livoreque marcent suscipit. Hic ergo hominis
 4 corpus jacere non puta : sed pestium
 5 cumulum omnium turgere fac hic existimes.

CUJUSDAM EPITAPHIUM, QUI EXEMPLO EDITO STRANGULATUS,
 PUBLICO POSTEA SPECTACULO LUGDUNI SECTUS EST,
 FRANCISCO RABELAESO MEDICO DOCTISSIMO FABRICAM CORPORIS INTERPRETANTE.

C_4_18 v.1 Stygem paludem, etquicquid ater Orcus habet,
 2 Fortuna jurarat furens,
 3 damnum mihi omne se reperturam, et probrum.
 4 Quod dum studet, atque nititur,
 5 et viribus totis suum in me dirum odium
 6 explet, saturatque, ut collibitum est ;
 7 tibi ecce, puncto temporis claudor carcere ;
 8 educor, et laqueo miser
 9 mox strangulatus pendeo. At quid non potest
 10 fati imperium contrarii ?
 11 Ut temporis puncto perieram turpiter,
 12 pari celeritate assequor,
 13 quod vix liceat cuiquam a Jove summo poscere.
 14 Spectaculo lato expositus
 15 secor : medicus doctissimus planum facit,
 16 quam pulchre, et affabre, ordineque
 17 fabricata corpus est hominis rerum Parens.
 18 Sectum frequens circumspicit
 19 corona, miraturque molem corporis
 20 tanto artificio conditi.
 21 Quare quid agat potius, quam ad extensum laqueum
 22 fortuna frendens convolet,
 23 et morte finem odio semel quaerat suo,
 24 non invidia diutius
 25 rumpenda ? Totus ad extremum cumulor
 26 honoribus, circumfluoque
 27 jam gloria, quem monstrum atrox volvit rapida
 28 corvis cibum esse, et flantibus
 29 ludibrium ventis. Furat sors, jam furat :
 30 honoribus circumfluo.

NOBILIS ADOLESCENTIS PETRI ANGLERII EPITAPHIUM.

C_4_19 v.1 Rediit ad ipsum certe
 2 illum locum, unde aliquando
 3 furtim insalutata alma
 4 matre, et choro Pierio
 5 repserat in hunc imum Orbem
 6 Palladis alumnus carus :
 7 suo quem abesse amplexu
 8 diutius gnatum, aegro
 9 animo tulit diva parens ;

10 ingemuit omnis etiam
 11 cohors Sororum Aonidum,
 12 suavia solita non a se
 13 pueri labellis figi,
 14 pulchre ubi sedebat
 15 Pytho et Latina, et Graeca.
 16 Hoc hercle desiderio
 17 motae Deae impotenter,
 18 et, quam satis profecto est,
 19 studio acriore incensa
 20 Pallas videndae prolis,
 21 abripuit hinc rarum olim
 22 Orbis decus futurum.
 23 Quo fit, parum ut non dubitem,
 24 habeamne gratiam illi,
 25 quae ultro dedit videre
 26 Numen Poli augustum aliquod ;
 27 an potius aequum omnino
 28 videatur, ut procaci
 29 lingua laccessi libeat,
 30 omnique probro obruier,
 31 cujus opera est perfectum,
 32 virtutis ut tanto opere
 33 non sine dolore acerbo
 34 omnes repente careant.

PETRI ALLESTI ADVOCATI FACUNDISS. EPITAPHIUM.

C_4_20 v.1 Invidit orbi Sors iniqua, Morsque atrox,
 2 quem sidera exceperere , non vulgariter
 3 multa arte, doctrinaque praeditum virum.
 4 Non tot micant ignes quidem certe Polo,
 5 causas quot ille dixit, eloquentia,
 6 peritiaque legum inaudita omnibus.
 7 Sensit cliens persaepe, quam esset efficax,
 8 bonusque patronus ; frequentes id rei
 9 novere, quos tutatus est, ac crimine
 10 statim absolutos gratulanti protulit
 11 affinium cohorti ; et exspectantibus
 12 salvos parentes liberis salvos dedit.
 13 Suo tamen functus die est, dira nece
 14 tandem occidit, cujus diserta lingua tot
 15 exemit a leto, minisque iudicium.
 16 Sed nunc, quibus vivus tulit prompte ille opem,
 17 jam mortuo precamini feliciter.

AMICI CUIUSDAM EPITAPHIUM.

C_4_21 v.1 Quid velut exstinctum luges, quem funere nullo,
 2 funere Mors nullo mergere dira potest ?
 3 Desine Fata queri : corpus jam lumine cassum
 4 condat humus ; lucet fama, decusque viri.
 5 Lucet honos, nullo mortis violabilis ictu :
 6 et dubitas luctum ponere ? Pone, precor.

7 Liquit inexhaustae laudis monimenta, vetustas
 8 quae carie numquam, conficietve situ.
 9 Non simul absumpto pereunt cum corpore, virtus
 10 clara quibus nomen tempus in omne parat.
 11 Fama loquetur anus, celebri quam nomine vixit ;
 12 qua virtute fuit, fama loquetur anus ;
 13 juris amor, mens pura doli, mens nescia culpae,
 14 laude effulgebit perpetuoque sua.
 15 Orbis tecta diu coluit : nunc lucida Divum
 16 regna, viris claris debita regna tenet.
 17 Juppiter hunc terris invidit iniquus honorem ;
 18 hac voluit tandem luce micare Polum.
 19 Hoc comite exsultant Divi, et laetantur ovantes,
 20 hocque diu socio se caruisse dolent.

IONNIS ANDRO ADOLESCENTIS NOBILISSIMI EPITAPHIUM.

C_4_22 v.1 Cui forma erat tam pulchra quam Apollini est,
 2 fuitque quondam Dardanio proco ;
 3 cui sic decenti erant colore
 4 labra, rosis rubor ut venustus,
 5 cui Pallas, artis quicquid habet, manu
 6 non parciore contulit, aut minus
 7 libenter, et prolixè, ea ullum
 8 quam coluit cupide poetam ;
 9 mortis peremptus legibus occidit,
 10 exaruit flos tam tener, et decens,
 11 nec forma atrox fatum, genisve
 12 purpureis potuit moveri,
 13 diem ut vel unum, aut alterum ei adderet
 14 ad certa mortis tempora proximae.
 15 Jacet sepultum corpus antehac
 16 tam egregium, lepidum, elegansque.
 17 Hinc evolavit spiritus ocior,
 18 unde ante ad ima haec praecipitaverat ;
 19 servat Polus suum, tueri
 20 quem nequirit putris ipsa tellus.
 21 Sed nil querendum est, cum sibi debitas
 22 sedes colat, nunc parte beatior
 23 multa, quam in Orbe sordido dum
 24 viveret, a Superis remotus.

ALBERTI PII CARPORUM PRINCIPIS EPITAPHIUM.

C_4_23 v.1 Mersit funere Mors nimis sinistra,
 2 Mors damnosa nimis virum interemit
 3 aeternum decus omnium virorum.
 4 Cui quid praeripere laudis illa
 5 illa antiqua patrum superba saecla
 6 tot belli ducibus, virisque doctis ?
 7 Aut quid nostra quidem negarit aetas ?
 8 Quod si forte stupes, minusve credis,
 9 id tu plus stupeas nequesque prorsus,
 10 hunc et Marti operam dedisse semper,

11 et Musis studium negasse numquam,
 12 ut nullum arte parem huic putet Minerva,
 13 nec Mars laudibus anteponat ullum.
 14 Quia morum integritate vixit, omnis
 15 quam purus vitii, ore quam modesto.
 16 O, quo robore pertulit sinistros
 17 casus, quo subiit pericla vitae.
 18 Quem ne, Galle, minus tuo remotum
 19 aspectu memores, et ipse justo
 20 complectaris amore, scito causa
 21 neglexisse tua, quibus bearat
 22 fortuna hunc aliquando rebus amplis.
 23 Sed quod non tibi sit grave, aut molestum,
 24 pro tantis studiis, quibus per orbem
 25 Gallorum cupiit decus vagari,
 26 morti, qua cecidit, precare mortem.
 27 Et votis onera Polum, ut labores
 28 post tot, tantaque damna, totque curas
 29 caelo tandem aliquando conquiescat.

IACOBI PINI EPITAPHIUM.

C_4_24 v.1 Latet sub hujus marmoris brevi cavo,
 2 cujus decus, nomenque multum nobile
 3 vix cepit olim vastus orbis, aut fretum.
 4 Nunc corpus, ut par est, tegit pridem putre
 5 tellus ; at, ut cum maxime, hujus mortui
 6 laus, famaue elucet, volatque nobilis
 7 a solis ortu longe ad Hesperos agros,
 8 cessura nulli edacitati temporum.
 9 Is ipse certe est, quo acrius nemo scelus,
 10 pejusve prorsus odit ; et quo ornatior
 11 virtute nemo erat, magisve omnino amans
 12 vitae integrae, et probae. Quod unum illum usque eo
 13 evexit, ut multis honoribus potens
 14 vitam egerit cum prospere, tum splendide.
 15 Vah, quo labore, et diligentia diu
 16 adjuvit hic domi, et foris Rempublicam.
 17 Vah, quae simul mandata regis Gallici
 18 exhausit haud sine obstupenda gloria.
 19 Quot saepe militum cohortes sub suis
 20 duxit manipulis, quotque clade Barbaras
 21 turmas humi stravit ducis fungens vice ?
 22 Quotque hostium arces diruit saevo impetu ?
 23 Testetur hoc, qui cessit huic, fractus Ligur,
 24 dicatque, quanto robore arma exercuit.
 25 Domi quibus prospexit, aetheri preces
 26 fundant, ut accumbat Poli alti heroibus.

DE CUIUSDAM OBITU.

C_4_25 v.1 Jam nihil est, quod mergi Erebi quisquam horreat tenebris,
 2 utcumque vitam duxerit nocentem ;
 3 fecerit et caelo convicia, nulliusque culpae

4 sit purus : Orci nempe nox profunda
 5 Quamdam hominis pestem obtexit modo : quem quidem, ut peraequum
 est,
 6 sanctaeque leges, jusque jure poscit,
 7 dum torquent Stygii manes cruciatibus vicissim,
 8 umbrae quiescunt ceterae, flagello
 9 nec quemquam Eumenides quatiunt ; nam prorsus occupatas,
 10 multumque fessas detinet scelesti
 11 et scelus, et crimen face nulla quamlibet flagrante
 12 tandem expiandum. Nunc, quibus reatu
 13 corque, animusque tremens pallet, secura adite fronte
 14 Plutonis antrum, vosque per vagantes
 15 immiscete umbras, Orcus dum totus obstupescit,
 16 ac intuetur tam novis, et amplis
 17 criminibus monstrum differtum ; elato adite vultu
 18 Plutonis antrum, vosque per vagantes
 19 immiscete umbras, Orcus dum totus obstupescit.
 20 Dies abibunt, interimque tempus
 21 cedit, et, umbris mox advectis qui praeest notandis,
 22 oblitus, illuc qua appulistis hora,
 23 nomina vestra recensere addubitabit hercule illis,
 24 reos Averni qui suo arbitrato
 25 aut leviori poena plectunt, aur acerbiore,
 26 ut crimen atrox postulat, jubetque.

DE EODEM AD CHARONTEM.

C_4_26 v.1 Cymbam quaere novam senex :
 2 non, qua tu hactenus umbras tenui rate
 3 vexisti, facile feres,
 4 quae nudata gravi corpore te modo
 5 ad ripas anima evocat ;
 6 tanto criminibus mehercule onustior,
 7 quanto aer levior solo est.
 8 Cymbam quaere novam squallide portitor :
 9 heu ne fide tuae Charon ;
 10 merget, crede mihi, vel media Styge
 11 te, nec non animam gravem,
 12 depressam nimio pondere criminum.
 13 Quam si forte Jovi nigro
 14 sistas incolumem, o te quater, ac quater
 15 felicem : tibi tam uberes
 16 fructus non peperit jure tuo datum
 17 naulum, quam ampla tibi deus
 18 Orci dona libens pro hac anima dabit.

EIUSDEM EPITAPHIUM.

C_4_27 v.1 Cujus cupiditatem bonorum extinguere
 2 bona nulla poterant, Mors quidem exstinxit ferox.
 3 Illum quoque explevit, quem honores antea
 4 explere nulli ; adeo nec ipse orbis satis
 5 fuit, nec omnes fumi honorum, cui breve
 6 satis est modo sepulchrum, et ossa tegens lapis.